

98



JOSE LUIS ESTRADA  
MALAGA

N.º 3951





# SUPPLEMENTUM

BREVIAR. ROM. HISP.

VETERUM EDITIONUM

CUM OFFICIIS NOVISSIMIS

ET ALIIS PECULIARIBUS

ECCLESIAE AC DIOECESIS

## AURIENSIS,

### CALENDARIUM QUOQUE AURIENSE

CUM TABULIS COMPUTI ECCLESIASTICI.



APPROBANTE PRÆLOQUE MANDARI DECERNENTE VENERABILI DOMINO DECANO,  
GUBERNATORE AC VICARIO GENERALI CAPITULARI SEDE VACANTE.



*Deo nostro sit jucunda  
decoraque laudatio.*

Ps. 146. v. 1.

---

AURIE CALLAICORUM:

TYPIS JOAN. MAR. A PAZOS.

M.DCCC.XL.III.

BIBLIOTECA UNIVERSIDAD DE MALAGA



6104171904



# OFFICIA

## QUÆ IN HOC SUPPLEMENTO CONTINENTUR.

---

### *Mense Januar.*

Die 22 S. Vincentii Levitæ et M. dup. 2 cl. cum oct. . . . .	5
29 Octava S. Vincent. M. dup. . . . .	14

### *Februar.*

Die 5 BB. Petri Bapt. Francisci Blanco et Soc. Mm. dup. . . . .	17
14 B. Joan. Bapt. à Concept. C. dup. . . . .	19
23 S. Petri Damiani Ep. C. et D. dup. . . . .	21
25 B. Sebastiani Aparicio (Pyranstæ dicti) C. dup. . . . .	23

### *Mart.*

Die 6 S. Olegarii Ep. C. dup. . . . .	26
15 S. Raymundi de Fitero Abb. C. dup. . . . .	28

### *April.*

Die 28 S. Prudentii Ep. C. dup. . . . .	31
---	----

### *Maj.*

Die 30 S. Ferdinandi Reg. C. dup. 1 clas. cum oct. . . . .	32
Missa ejusdem ( <i>quæ casu è loco suo exciderat</i> ). . . . .	83

### *In movilibus.*

Fer 6 post octav. SS. Corp. Christi: Festum SS. Cordis Jesu, dup. 2 clas. . . . .	40
--	----

### *Jun.*

Die 4 S. Francisci Caraciolo C. dup. . . . .	55
6 Octava S. Ferdinandi C. dup., omnia ut in festo.	

### *Jul.*

Die 4 Translatio S. Martini Ep. C. dup. . . . .	57
---	----

*Aug.*

Die 20 S. Bernardi Abb. C. et D. dup. -- Additamenta  
ut Doctoris . . . . . 57

*Sept.*

Die 28 B. Simonis de Roxas C. dup. . . . . 58

*Octob.*

Die 1 S. Angeli Regni Custod. dup. 2 cl. cum oct. . . . . 60

8 Octav. S. Angeli Regni Custod. dup. omnia ut in festo.

14 In festo S. Calisti M. dup. . . . . 73

*Nov.*

Die 14 Lectiones propriæ 2 et 3 Noct. de die 4 infra-  
oct. S. Martini, dum fit de infraoct. . . . . 74

Die 18 Octava S. Martini Ep. C. dup. . . . . 76

*Decemb.*

Die 23 B. Nicolai Factor. C. dup. . . . . 79

In festo unius Martyris non Pontif. Homilia S. Hilarii  
in Evang. *Nolite arbitrari* ex Missâ *In virtute*. . . . . 81

Hinc sequitur:

Kalendarium Auriense cum tabulis computi ecclesiastici  
et brevibus regulis pro efformatione directorii ad di-  
vinum officium quotannis persolvendum.

DIE XXII JANUARIII  
IN FESTO  
**SANCTI VINCENTII**  
LEVITÆ, ET MÁRTYRIS,  
DUPLEX SECUNDÆ CLASSIS CUM OCTAVA.

EX CONCESS. PII VII PRO HISPAN. 6 JUL. 1819. (*V. Director. 1821.*)

Omnia de Commúni unius Mártýris, non Pontíficis,  
primo loco, præter sequéntia.

AD VESPERAS.

ANTIPHONA.

**D**óminus dédit mihi línguam eruditam, ut sciam sustentáre eum, qui lassus est verbo. (*Isai. 50. v. 4.*)

AÑA. Replétus sum fortitúdine Spíritus Dómini, ut annúntiem Jacob scelus suum. (*Mich. 3. 8.*)

AÑA. Sapiéntia et fortitúdo Dómini sunt: tibi, Deus, confíteor, quia dedisti mihi. (*Dan. 2. 20. 23.*)

AÑA. Dédit mihi Dóminus sciéntiam sanctórum, et honestávit me in labóribus. (*Sap. 10. 10.*)

AÑA. Certámen forte dédit mihi Dóminus ut víncerem, et scirem, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. (*Sap. 10. 12.*)

CAPITULUM. *Sap. 10.*

**J**ustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dédit illi sciéntiam sanctórum: in fraude circumveniéntium illum affuit illi, descenditque cum illo in fóveam, et in vinculis non dereliquit illum.

HYMNUS.

**P**artas horrífico supplicii modo  
Palmas, atquè decus Mártýris  
ínclýti

Festívo resonent cármine pectora,  
Exultántia gáudio.

Cessérunt fúriæ, cessit atróeitas  
Illaudata feri júdicis, ignium,  
Vincénti, rábies fugit, abest pro-  
eúl

Cædis triste perfculum.  
Trudúntur rápidis sécula séculis,  
Et cursu révolant irrevocábili,  
Stat, sempérquè sacris stabit hó-  
nóribus

Laus immovílior tua.  
Te, lucénte polo, donèc eant dies,  
Laudábuat hómines, plaúsibus  
æthere

Responsábit ovans cœtus, et aú-  
rea  
Nunquàm plectra siléntia.  
Summà laude Pater, Natus et ú-  
nicus,

Dicátur páritèr Nexus amábilis,  
Indivísa manens númine Trinitas  
Nunc, olim, siuè término.

Amen.

Ÿ. Fuit magnus secundum nomen suum;

℞. Máximus in salutem electorum Dei. (*Eccli. 46. 1. 2.*)

#### AD MAGNIFICAT.

AÑA. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te; cum ambulaveris in igne, non combureris, et flamma non ardebit in te. (*Isai. 43. 2.*)

**D**ORATIO.  
 nobis, quæsumus, omnipotens Deus, adversa mundi invicta mentis constantia tolerare, qui beatum Levitam Vincéntium nec minis terreri, nec pœnis passus es superari. Per Dóminum nostrum....

#### AD MATUTINUM.

##### INVITATORIUM.

Beátus Vincéntius Christi Martyr triumphat coronátus in cœlis:  
 \* Veníte, adorémus Dóminum.

##### H Y M N U S.

**D**elassata senis lingua Valerii  
 Quæ proférre néquit, dógmata nuntians,  
 Certo martyrio non tímido pede  
 It Vincéntius obviam.  
 Sectus sanguíneo vérbere tráditur  
 Mactándus fidibus discruciántibus;  
 Intensis váriat carnificis furor  
 Instrumenta dolóribus.  
 Prunnis suppositis, cráteque férreâ  
 Vim perférre diù cógitur igneam,  
 Quam solúm váleat sancta repéllere.  
 Ardens pectore cháritas.

Uncis viva caro scinditur úngulis:  
 Candentes rénovat vúlnera láminæ:  
 Dejectum píceis in spécubus premunt

Testæ corpus acúleis.

¿Vis audire novum supplicii genus?  
 Sic fessum thálamo purpúreo locant

Intèr delicias, sértaque flórea;  
 Nec constántia frángitur.

Summâ laude Pater, Natus et únicus,

Dicátur páriter Nexus amábilis,  
 Indivísa manens númine Trínitas

Nunc, olim, sinè término.

Amen.

#### IN I. NOCTURNO.

AÑA. Factus es susceptor meus, Dómine, et refúgium meum in die tribulatiónis meæ. (*Ps. 58. 17.*)

AÑA. In quocúmque loco fueris, Dómine, sivè in morte, sivè in vita, ibi erit servus tuus. (*2. Reg. 13. 21.*)

AÑA. Magnificabitur Christus in corpore meo sivè per vitam, sivè per mortem. (*Phil. 1. 20.*)

Ÿ Fuit magnus secundum nomen suum;

℞. Máximus in salutem electorum Dei. (*Eccli. 46. 1. 2.*)

De libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

#### LECTIO I. CAP. 2., ET 3.

**H**æc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum: Scio ópera tua, et laborem, et patientiam tuam, et quia

non potes sustinere malos: et tentasti eos, qui se dicunt Apostolos esse, et non sunt: et invenisti eos mendaces: et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Hæc dicit primus, et novissimus, qui fuit mortuus, et vivit: Scio tribulationem tuam, et paupertatem tuam, sed dives es: et blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Sathanæ. Nihil horum timeas quæ passurus es. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Tu autem.....

β. E caelo membra ista possido, \* Sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso ea me recepturum spero.

γ. Ego non solum alligari, sed et mori paratus sum propter nomen Domini Jesu. \* Sed propter Dei. (2. Mach. 7. 11. Act. 21. 13.)

### LECTIO II.

**H**æc dicit qui habet rhomphæam utraque parte acutam: Scio ubi habitas, ubi sedes est Sathanæ: et tene nomen meum, et non negasti fidem meam. Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum: et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Et hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis, et pedes ejus similes aurichalco: Novi opera tua, et fidem, et charitatem tuam, et ministerium, et patientiam tuam, et opera tua novissima plura prioribus. Qui vicerit, et custodierit us-

que in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringentur, sicut et ego accipi à Patre meo: et dabo illi stellam matutinam. Tu autem....

β. Angustiae sunt mihi undique: \* Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.

γ. Vincula et tribulationes me manent; sed nihil horum vereor.

\* Melius est.... (Dan. 13. 22. 23. Act. 20. 23. 24.)

### LECTIO III.

**Q**ui habet septem spiritus Dei, et septem stellas, hæc dicit: Scio opera tua: esto vigilans et confirma cetera, quæ moritura erant. Qui vicerit, vestiatur vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus. Et Sanctus, et Verus hæc dicit: Scio opera tua, et dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum. Faciam ut de synagoga Sathanæ veniant, et adorent ante pedes tuos, et scient quia ego dilexi te. Quoniam servasti verbum patientiae meæ, et ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, et nomen meum novum. Et hæc dicit Amen, Testis fidelis et

verus, qui est principium creaturæ Dei: Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. Tu autem....

℞. Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, manifestè tu scis, quia, cùm à morte possem liberári, \* Duros córporis sustineo dolóres: secundùm ánimam verò proptèr timórem tuum libéntèr hæc pátiór. †. Pátiór sed non confúndor: scio cui crédidi. \* Duros córporis... Gloria Patri.... Duros córporis.... (2. *Machab.* 6. 30 = 2. *Tim.* 1. 12.)

## IN II. NOCTURNO.

AÑA. Stetit contra reges horréndos in porténtis, et signis. (*Sap.* 10. 16.)

AÑA. Tormenta suscepit; ita ut miraréntur, quòd tamquàm nichilum dúceret cruciatus. (2. *Mach.* 7. 8. 12.)

AÑA. Probavit me Dóminus quasi aurum, quod per ignem transit. (*Job.* 23. 10.)

†. Si consistant advérsùm me castra, non timébit cor meum.

℞. Si exúrgat advérsùm me prælium, in hoc ego sperábo. (*Ps.* 26. 3.)

## LECTIO IV.

*Ex Ss. Aug. et Leon. Serm. de S. Vinc.; ex Prudent. Carm. 5 et Act. ap. Ruinart.*

**V**incéntius Martyr ille eximius, quem Paulinus Hispaniarum vocat decus et ornámentum; quem devótis ádeò Augustinus coluit obséquii, ut sermónibus quinque lau-

des ejus díxerit; quem hymnis, et carmínibus Prudéntius ecécinit Mártyrem toto terrarum orbe celebrissimum, Oscæ in Hispania ceteriore nobili ortus genere, Valerio Casar-Augustano Episcopo, máxime sanetitatis viro, literis et disciplinis informandus ab infántia traditus est: qui in doctrina et virtute gradu celeri sic est progressus, ut à Valerio ordinatus Diaconus, ab eodem Præsule, qui proptèr linguam impeditiorem verbi ministerio minus erat idoneus, prædicandi partes accéperit. Dum autem creditum sibi munus summam cum laude, fructu nec minóri adimplet, in persecutióne Diocletiani comprehensus, Valentianam in Hispania ad Daciannum Præsidem vincetus ducitur. Tu autem....

℞. Hanc tentationem \* Ideo permisit Dóminus evenire illi, ut pósteris darétur exéplum patientiæ ipsius. †. In laboribus plurimis, in carcèribus abundantius, in plagis supra modum, in mórtibus frequentèr. \* Ideo permisit.... (*Tob.* 2. 12. 2. *Cor.* 11. 23.)

## LECTIO V.

**V**erum quem coram Christiana plebe infracto à laboribus animo prædicaverat, invicta à supplicii constantia coram tyranno Christum professus est. Christianæ religionis cultorem se ausus propalam dicere, Præsidis furentis jussu vincetus re-tortis brachiis extensus est, donèc ossa sedibus suis singula moverentur: mòx ferreis unguis semel atque iterum excarnificatus est. Ipse autem, spretis tormentis, immotus ac quasi esset sine ullo doloris sen-

su, nec minis, nec iterátis cruciá-  
tibus addúci pótuit, ut thus idólis  
adoléret, nequè ut libros sacros  
tráderet: quaproptèr craticulæ sub-  
jéctis ardéntibus prunis impónitur;  
applicántur membris láminæ, de-  
cúrrit inter candéntis ferri asperi-  
tátem liquor; stridens flama arvi-  
nà respérgitur; salis ignibus sparsi  
crepitántes minúliæ per membra  
dissiliunt: intéreà Martyr invíctus,  
eréctis in cœlum óculis, Dóminum  
precabátur. Tu autem....

℞. Probávit me Deus quasi au-  
rum, quod per ignem transit: \* Ves-  
tígia ejus secútus est pes meus,  
viam ejus custodívi, et non decli-  
návi ex ea. ℥. Ad cognoscéndum  
Christum, et societátem passiónum  
illius, configurátus morti ejus.\* Ves-  
tígia ejus.... (*Job. 23. 10. 11. Phi-  
lip. 3. 10.*)

#### LECTIO VI.

**P**ost hæc in cárcere testáccis  
fragméntis strato disténditur, ut  
testárum acúlei vulnèrum dolórem  
exasperárent. Sed illustráto cæli-  
tús cárcere, Angelórum fovétur  
obséquo, allóquio mulcétur, solú-  
tis néxibus deámbulans psallit, cón-  
sonat vocis Angélicæ moduláta suá-  
vitas: quod per rimas conspiciéntes  
stupéfácti cárceris custódes, Chris-  
tíanæ religióni fidélitèr se dedúnt.  
Eductus indè Vincéntius molli cúl-  
citæ impónitur, ut aliquántulum  
recreátus ácrius dénuð torquérè-  
tur; verùm pretiósam resolutus in  
mortem, Daciáno inánitèr de suppli-  
cio cogitánte, Deo autem clemén-  
tèr disponente de præmio, cælo  
spíritum réddidit. Circunstántium

freqüéntia Sancti vestígia deoscu-  
lándo prolámbit, vulnèra totíus lá-  
ceri córporis pià curiositáte palpat,  
sánguinem línceis éxcipit sacrá ve-  
neratióne pósteris profutúrum. Con-  
téndit adhúc cum mórtuo cadávere  
Daciáno, sed frustrá feris óbicit,  
corax namquè custos cœlitús desig-  
nátur, qui eas, trucémque lupum  
rostró et alis à thesaúro sibi crédi-  
to remótiús arcet: frustrá prójicit  
in mare; quod étenim mínimè ap-  
parère satágerat, nutu divíno sem-  
per próditur corpus, ut religiósíus  
humándum, inquit Augustínus, ve-  
nerandúmque demonstrarétur. Tu  
autem....

℞. Post tempestátem tranquil-  
lum facis, Dómine; et post lacry-  
mationem et fletum exultatiónem  
infúndis. \* Sit nomen tuum Deus  
Israel, benedictum in sécula. ℥. Ip-  
se autèm Dóminus noster Jesus  
Christus dédit consolatiónem ætér-  
nam, et spem bonam in grátia.  
\* Sit nomen tuum.... Gloria Patri..  
Sit nomen tuum... (*Tob. 3. 22.  
23. = 2. Thez. 2. 15.*)

#### IN III. NOCTURNO.

AÑA. Proptèr opus Christi us-  
què ad mortem accéssit, tradens á-  
nimam suam. (*Philip. 2. 30.*)

AÑA. Mundus óbiit, per óm-  
nia in Dómino confidens. (*2. Ma-  
ch. 7. 40.*)

AÑA. Vita decéssit, univèrsæ  
genti memóriam mortis suæ ad e-  
xémplum virtútis derelinquens. (*2.  
Mach. 6. 31.*)

℥. Justus cum ceciderit, non  
collidétur; ℞. Quia Dóminus sup-  
pónit manum suam. (*Ps. 36. 24.*)

Lectio sancti Evangelii secundum  
Matthæum.

LECTIO VII. CAP. 10.

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.  
*Serm. 274, et 275, (al. 8, et 12  
de Sanct.) in fest. S. Mart. Vinc.*

**M**agnum spectaculum spectavimus oculis fidei, Martyrem sanctum Vincéntium ubique vincentem. Vicit in verbis, vicit in pœnis, vicit in confessiõne, vicit in tribulatiõne, vicit exustus ignibus, vicit submersus fluctibus: postremò vicit tortus, vicit mortuus. ¿Quis istam paciëntiam militi suo donavit, nisi qui pro illo prior sanguinem fudit? cui dicitur in Psalmo, Quoniam tu es paciëntia mea, Dõmine; Dõmine, spes mea à juventute mea. Magnum certamen magnam comparat glóriam, non humanam nec temporalem, sed divinam et sempiternam. Fides pugnat, et quando fides pugnat, carnem nullus expugnat. Tu autem....

R. Testimónium consecutus est esse justus, testimónium perhibente munéribus ejus Deo; \* Et defunctus adhuc loquitur. †. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operatus est. \* Et defunctus.... (*Hebr. 11. 4. Eccli. 48. 15.*)

LECTIO VIII.

**Q**uisquis putat sanctum Vincéntium

viribus suis ista potuisse, nimis errat. Quisquis enim viribus suis hoc se posse præsumperit, etsi videtur vincere paciëntiam, vincitur à superbiam. Bene vincere hoc est, universas machinas diaboli vincere. Illécebras dum ministrat, vincitur per continentiã: pœnas et tormenta infligit, vincitur per paciëntiam: erróres suggerit, vincitur per sapiëntiam. Si consideretur in ista passiõne humana paciëntia, incipit esse incredibilis: si agnoscatur divina poténtia, dõssinit esse mirabilis. Tanta grassabatur crudelitas in Martyris corpore, et tanta tranquillitas proferebatur in voce, tantaque pœnarum asperitas sæviébat in membris, et tanta securitas sonabat in verbis, ut miro modo putarémus, Vincéntio patiente, alium non loquentem torqueri. Et verè, fratres, ita erat: prorsus ita erat: alius loquebatur. Promissit enim et hoc tẽstibus suis Christus in Evangelio, quos ad hujusmodi certamina preparabat. Sic enim ait: Nolite præmeditari quomodo, aut quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Tu autem....

R. ¿ Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, Dõmine? \* ¿ Numquid cognoscẽtur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblivionis? †. Nunc, Dõmine, respice in eo quod manum tuam extendas ad sanitates, et signa, et prodigia fieri. \* ¿ Numquid.... Glória Patri... ¿ Numquid....  
(*Ps. 87. 12. Act. 4. 29. 30.*)

## LECTIO IX.

**D**éniquè his præmissis futuræ videlicet retributionis finibus, etiã in hoc mundo Mártyrum glóriam demonstrémus. ¿Quæ hódie régio, quæve provincia ulla, quoúsquè vel Románum impérium, vel Christiánum nomen exténditur, natálem non gaudet celebráre Vincéntii? ¿Quis autèm hódie Daciáni vel nomen audisset, nisi Vincéntii passiónem legisset? Quòd verò tantã curã servávit Dómnus Mártyris corpus, ¿quid aliud demonstrávit nisi se gubernásse vivéntem, quem non reliquit exánimem? Vicit ergo Daciánnum vivens Vincéntius, vicit et mórtuus. Vivens torménta alcávit, mórtuus mária transnatávit. Sed ipse inter undas gubernávit cadáver extinctum, qui inter úngulas ánimum donávit invíctum. Non flexit flama tortóris cor ejus; non mersit aqua maris corpus ejus. Sed in his et hujúsmodi nihil est aliud nisi, Pretiósã in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. Tu autem....  
Te Deum laudámus....

AD LAUDES  
ET PER HORAS.

**A**ÑA. **F**actus est Dóminus protectór meus: salvum me fecit, quóniam voluit me. (*Ps.* 17. 20. 21.)

**A**ÑA. Deus meus misit Angelum suum: quia corã eo justítia invénta est in me. (*Dan.* 6. 22.)

**A**ÑA. Transivi per ignem et aquam; et eduxísti me, Dómine, in refrigerium. (*Ps.* 63. 12.)

**A**ÑA. Tamquã prodígium factus sum multis; et tu, Dómine, adiutor fortis. (*Ps.* 70. 7. 8.)

**A**ÑA. Bonum certãmen certãvi, cursum consummãvi, fidem servãvi: in reliquo repósa est mihi coróna justítie. (*2. Timoth.* 4. 7. 8.)

**C**APITULUM. Justum deduxit....  
*ut in 1 Vesp.*

## HYMNUS.

**H**eros supplicis victor in ómnibus,

Elúsus fãtui júdicis artibus,  
Lecti blandítias deserit ávolans  
Trans fulgéntia sydera.

Cœlum prodigiis, corpus ut integrum

Projéctum médiis perstet agris,  
favet.

Custos corvus adest, nec volucres, nequè,

Accédunt ávide feræ.

Judex æquóreis flúctibus imperat  
Mergi, reliquiis ne páteat locus,  
Incassum, plácide nam refluentibus

Stans undis supèr énatat.

Adsis, ò, fãmulis ritè precántibus,  
Vincénti, rádium lúminis impetra,

Ne cedat pietas fracta periculis,  
Succumbátque labóribus.

Id nostro máneat corde recónditum,  
Quòd tormenta brevi prætereúntia

Ætérnæ páriunt præmia gloriæ,  
Permansúraque gáudia.

Summã laude Pater, Natus et únicus,

Dicátur páritèr Nexus amábilis,  
Indivisa manens númine Trínitas

Nunc, olim, sinè término.

Amen,

ý. Custodivit Dóminus ómnia ossa justí; r. Unum ex his non conterétur. (*Ps.* 33. 21.)

## AD BENEDICTUS.

AÑA. Amplificátus est in mirabilibus suis, ¿ et quis potest similiter sic gloriári? Potentiã nemo vicit illum, et mórtuum prophétávit corpus ejus: in vita sua fecit monstra, et in morte mirabilia operátus est. (*Eccli. 48. 4. 13.*)

ORATIO. Da nobis, quæsumus...  
*ut supra in 1 Vesperis.*

## AD PRIMAM.

AÑA. Factus est.... *Lectio brevis, Capitulum Nonæ.*

## AD TERTIAM.

AÑA. Deus meus.... *Capitulum Justum dedúxit... ut in 1 Vesp.*

℞ *breve.* Fuit magnus \*Secúndum nomen suum. Fuit.... *ŷ.* Máximus in salútem electórum Dei. Secúndum.... Gloria Patri.... Fuit... (*Eccli. 46. 1. 2.*)

*ŷ.* Si consistant advérsum me castra, non timébit cor meum: ℞. Si exúrgat advérsum me prælium, in hoc ego sperabo. (*Ps. 26. 3.*)

## AD SEXTAM.

AÑA. Transívi....

## CAPITULUM. SAP. 10.

**C**ustodívit illum Dóminus ab inimícis, et à seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia.

℞ *breve.* Si consistant advérsum me castra, \* Non timébit cor meum. Si consistant.... *ŷ.* Si exúrgat advérsum me prælium, in hoc ego sperabo. Non timébit.... Gloria Patri.... Si consistant.... (*Ps. 26. 3.*)

*ŷ.* Justus cum ceciderit, non collidétur; ℞. Quia Dóminus supponit manum suam. (*Ps. 36. 24.*)

## AD NONAM.

AÑA. Bonum certámen....

## CAPITULUM. SAP. 10.

**I**ntrávit Deus in ánimam servi sui, et stetit contra reges horréndos in porténtis et signis: ided decantábit, Dómine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudávit páritèr.

℞ *breve.* Justus cum ceciderit, \* Non collidétur; Justus.... *ŷ.* Quia Dóminus supponit manum suam. Non collidétur.... Gloria Patri.... Justus.... (*Ps. 36. 24.*)

*ŷ.* Custodívit Dóminus ómnia ossa justí; ℞. Unum ex his non conterétur. (*Ps. 33. 21.*)

## IN II. VESPERIS.

AÑA. Factus est Dóminus... *ut ad Laud. Psalm. Dixit Dóminus... et loco últimi, Psalm. Crédidi...*

CAPITULUM Justum dedúxit... *Hymnus Partas... ut in 1 Vesp.*

*ŷ.* In séculum memória ejus in benedictione; ℞. Et nominátus est usque ad novíssimum terræ. (*1. Mach. 3. 7. 9.*)

## AD MAGNIFICAT.

AÑA. Réspice ad orationem servi tui, Dómine Deus, quam orat coràm te hódie: ut exaúdias deprecationem pópuli tui. (*3. Reg. 8. 28. 30.*)

# AD MISSAM.

INTROITUS. SAP. 10.

**C**ertámen forte dédit illi Dóminus, ut vinceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia, descenditque cum illo in fóveam, et in vínculis non dereliquit eum.

PSALM. 58. Fortitúdinem meam ad te custódiám: \* quia, Deus, suscéptor meus es:

ORATIO. Da nobis...*ut in 1 Vesp.*

Léctio libri Apocalypsis beáti Joánis Apóstoli.

CAP. 2., ET 3.

**I**n diébus illis: Audívi vocém magnam tamquám tubæ, dicéntis: Scribe: Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua: Scio ópera tua, et labórem, et patiéntiam tuam, et quia non potes sustinére malos: et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti. Qui habet aurem, aúdiat quid Spíritus dicat: Vincénti dabo édere de ligno vitæ, quod est in paradíso Dei mei, manna absconditum, et cálculum cándidum, et in cálculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Qui vicerit, et custodierit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super Gentes: vestietur vestiméntis albis, et non delébo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus corám Patre meo, et corám Angelis ejus: fáciem illum colúmnam in templo Dei mei, et dabo ei sedére mecum

in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

GRADUALE.

2 *Timoth.* 4. Bonum certámen certavi, cursum consummávi, fidem servávi; in réliquo repóstita est mihi coróna justítiæ. *1. Philip.* 1. Magnificábitur Christus in corpore meo sive per vitam, sive per mortem. Alleluia, alleluia. *1. Cor.* 15. Cum mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absórta est mors in victória, alleluia.

*Si hoc Festum vénerit post Septuagésimam, omisso Alleluia et Versu seqüenté, dicitur*

TRACTUS.

*Psal.* 58. Cantábo fortitúdinem tuam, Dómine, et exaltábo mané misericórdiam tuam; *1.* Quia factus es suscéptor meus, et refúgium meum in dié tribulatiónis meæ. *1.* Adjútor meus, tibi psallam; quia, Deus, suscéptor meus es.

✠ Seqüéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

CAP. 10.

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timére eos, qui occidunt corpus, ánimam autém non possunt occidere: sed potius timéte eum, qui potest et ánimam, et corpus pérdere in gehénnam. Nonné duo pásseres asse vaneunt;

et unus ex illis non cadet super terram sinè Patre vestro? Vestri autèm capilli cápitis omnes numerati sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus meliôres estis vos. Omnis ergò qui confitébitur me coràm homínibus, confitébor et ego eum coràm Patre meo, qui in cœlis est.

#### OFFERTORIUM.

*Apoc. 3.* Qui vicerit, vestiétur vestiméntis albis, et confitébor nomen ejus coràm Patre meo, et coràm Angelis ejus.

#### SECRETA.

**H**odiérnum tibi, Dómine, sacrificium lætántes offérimus, quo beá-

ti Vincéntii cœléstem victóriam recenséntes, et tua magnália prædicámus, et nos adquisísse gaudeámus suffrágia gloriósa; Per Dóminum...

#### COMMUNIO.

*Marc. 8.* Qui perdíderit ánimam suam próptér me, et Evángélium, salvam fáciét eam.

#### POSTCOMMUNIO.

Cœléstibus, Dómine, corrobora nos sacraméntis, ut eádem virtúte vitiórum blandiménta vincámus, qua beátus Martyr Vincéntius tormentórum immanitatem pro fide tui nóminis superávit; Per Dóminum....

## DIE XXIX JANUARIII OCTAVA SANCTI VINCÉNTII LEVITÆ ET MÁRTYRIS.

### DUPLEX

*Omnia ut in die Festo præter Lectiones I. Noctúrni, quæ erunt de Scriptura occurrénte, et seqüentés.*

#### IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Leónis Papæ.

#### LECTIO IV.

*Serm. 13. in nat. S. Vinc. M.*

Cunctórum licèt, dilectíssimi, gloriósas Mártyrum passiónes, quos distincta regiónibus loca merué-runt, una fides fáciat ómnibus in-

discreto honóre venerábiles; própriam tamèn sibi in hoc veneratiónis obséquio illi vindicant dignitatem, qui Ecclésiám Dei et documéntis præ ceteris erexérunt, et patrocíniis adjuvérunt. Intèr quos justè beátum Levítam Vincéntium, cujus confessióne et morte Christum incrédulis prædicátum incunctántèr agnóscimus, cathólicis stúdiis celebrámus. Qui ut fidélium

devotiōnem Deo studiōsius commendāret, altiōri charitatis flammēscens affēctū, mortī sese tandē fidēlītēr obtulit, quo videlicēt robur fidei in solidissima petra Christo fundatum, sequācibus imitāndum darētur: nec non et semen Apostolicę prædicatiōnis per eum plūribus disseminatū, ope suę intercessiōnis tutum, ac perfectę consummatiōnis fruge refertum in cęlestibus demūm hōrreis conderētur. Hunc ergo ampliūs prōpria venerētur, quem etiā peregrina mirāntur: quātenūs eis se largiōrem exhibeat in beneficiis, quibus se amabiliōrem cognōscit in gaudiis, fiātque in ejus solemnitate uberior lætitię āmbitus, de quo fidei crevit effectus. Tu autem....

#### LECTIO V.

**V**incēntii passiōnis vel ūltima pervidēre, seu memorārī, fratres, evidēntius placet: quātenūs animadvertat sanctitas vestra, quo diabolus suum perdūxerit dolis ministrum, vel quōmodō Christus suum in finem usquē servāverit famulum. Cōgnito igitur sancto Vincēntii abscessu, iudex insānus, et quia: Christus vicisset in Vincēntio nesciens: Daciānus, illius sibi promittit cadāveris expositiōne vindictam, cuius gemit ex virtūte victōriam. Ferris namquē et cānibus decēpta furōris supērbia assumēndum: prōjici mandat lictōribus, ut tali pastu eōrum implēret ventrem, quōrum ipse gerēbat mentem. Sed ut divinis excrescētibus beneficiis majōris victōrię Vincēntio grātia conferrētur, mittitur corvus, avis amica cadāveribus, expōsitae corpōris da-

pes servatūra jejūna. Qui ut cęlestis se custōdem designātum ostēderet, adventāntes reliquas aves ēminūs non segni impetu perturbābat: intēr quas immānem quoquē lupum prōpiūs accedēntem, veluti qui commissum thesaurum sacrilegā audaciā-attamināre præsumeret, pennis et alis divērberans procul abēgit. Sed ille, quōd non tām ad inferēndam venisset injūriam, quām ad augēndam mirāculi pompam, quadam sui hebetūdine stūpidus indicābat. Tu autem....

#### LECTIO VI.

**O** impudens furor, et stulta vēsania! Corvus obsēquitur, lupus venerātur, Daciānus persēquitur, nec erubēscit velle se adhūc ferox pērdere, quem mansuefacta bestialis fēritas satagēbat protēgere. Undē ad occulēdam Mārtyris laudem, non jam secretum, sed profundum elēgit: credens sibi ad delitescēdam ejus glōriam non claustra fidem servatūra, sed mārīa: quasi non idem elemēti dōminus esset, per quem dudūm ei cārceris ābdita cęlesti fulgōre radiāta micuissent. Datur nautis mergēndum corpus in flūctibus: ut ad auxiliū saltē aequora proficerent, cui ad vincēndum Christi militem terra defecisset. Enavigātis itaquē magnā ex parte freti gurgitibus, projēctum inter sorbēntes undas præpotens est Dei dēxtera consecūta: et quę spīritum intūlerat in cęlum, corpus mox rētulit ad sepūlcrum. Sic prædicatōr veritātis, charissimī, nec tormentōrum vincitur pēnis, nec tenebrōsi cārceris superātur angūstiis. Non ā bēstiis dilaniatur,

non profúndo celátur, sed lítteri rédditur, præcónio díffamatur: ut qui verè conféssus fúerat nomen Deitátis, verítate sibi adesse experirétur divínæ suffrágia bonitátis: consequénsque erat, quátenus ad ejus visiónem per mórtē attingeret, quem probábilis vitæ conversatióne semp̄r atestátus fúisset; sciens quod de contéptu præsentis vitæ glória surgit beatitúdinis æternæ. Tu autem....

### IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum  
Matthæum.

#### LECTIO VII. CAP. 10.

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.  
*Serm. 276, et 277, (al. 12 de Sanct. et 102. de Divers.) in Fest. Mart. Vinc.*

**I**n passióne, quæ nobis hódie recitata est, fratres mei, evidénter osténditur iudex ferox, tortor cruéntus, Martyr invictus. In cuius corpore pœnis váriis exarato, jam torménta deféceraut, et adhuc membra durabant. Tot convicta miraculis persistébat impietas, tot vexata suppliciiis non cædebat infirmitas: agnoscéatur ergo operata divinitas. ¿ Quandò enim corruptibilis pulvis contra tam immánia torménta duráret, nisi in eo Dóminus habitáret? In his enim ómnibus ille agnoscéndus, ille glorificándus, ille

laudándus est, qui et in prima vocatióne dedit fidem, et in supréma passióne virtútem. ¿ Vultis nosse quia utrúmque donátum est? Audite Apóstolum Paulum: Vobis, inquit, donátum est pro Christo, non solúm ut credátis in eum, verúm etiám ut patiámmini pro eo. Accéperat hæc útraque Levita Vincéntius, accéperat, et habébat. Si enim non accepisset, ¿ quid habéret? Habébat in sermóne fidúciam, habébat in passióne tolerántiam. Tu autem....

#### LECTIO VIII.

**C**lariorem nobis Mártyrem tot torménta faciébant. Multiplici enim vulnerum varietáte confóssus, non deserébat pugnam, sed ácrius iterábat. Putáres quòd eum duráret flamma, non úreret; et tamquam figuli fornax lutum molle suscépiens, duram rédderet testam. Póterat Martyr noster dicere Daciáno: Jam non urit ignis tuus carnem meam, quia exáruit velut testa virtus mea. Et quóniam verácitèr scriptum est, Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulatiónis; probátus est atque decóctus illo igne Vincéntius: arsit verò, et crépuit Daciánus. Si enim non ardébat, ¿ undè clamábat? ¿ Quid enim erant verba irascéntis, nisi fumus ardéntis? Ergò Martyri nostro, refrigerium in corde habénti, flammam extrínsecus admovébat: sed ipse fácibus furóris accénsus, tamquam cllbanus intus ardébat, et habitatórem suum diábolom concremábat. Non tantùm Mártyrem cruciábant torménta, quantum illum vexábat insania. Tu autem....

## LECTIO IX.

**S**ed jam, fratres, illa ómnia transierunt, et ira Daciáni, et pœna Vincéntii. Nunc autem pœna Daciáno, coróna verò manet Vincéntio. Hoc aténdite, et fidem vestram interrogáte. Sanctus Vincéntius si formidine tormentórum negáret Christum, viderétur córpori pepercísse: quádam autém conditióne mortáli, córpore solverétur. ¿Quid ágeret in resurrectione, cum

in ætérnum ignem præcipitarétur? Negans Christum, negátur á Christo: Qui negáverit me, inquit, corám homínibus, negábo eum corám Patre meo, qui est in cœlis. Ecce negáret, quiéscerent illi tortóres, et vulneráto ánimo, sanum esset corpus; immò occiso ánimo, víveret corpus: ¿quid prodésset in ætérnum mórtuo brevis córporis vita? Tu autem....

Te Deum laudámus.

---

 DIE V FEBRUARII

IN FESTO BB. MM. JAPONENS.

**PETRI BAPTISTÆ, FRANCISCI BLANCO,**  
 EORUMQUE SOCIORUM *dup. min.*

*Omnia de communi plurimorum Martyrum, præter sequentia.*

## ORATIO.

**D**eus, qui primitias Fidei apud Japoniæ Géntes Beatórum Martyrum Petri Baptistæ, Francisci, eórumque sociórum sángine dedicásti: concede propítius, ut ad tui nominis confessionem, quórum excitámur exémpis, eorum précibus adjuvémur. *Per Dóminum....*

## IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de scriptúra occurrénte:  
 in Quadragés. Fratres debitóres.*

## IN II. NOCTURNO.

## LECTIO IV.

**R**emotíssima Japoniæ regio, cui diu Evángelicam extra lucem sepó-

sitæ in sexto décimo salutis humanæ reparatæ sæculo Cathólicæ veritátis lumen affúlsit, sub ejusdem sæculi finem nondum ómnibus prórsus errórum ténébris eliminátis, viginti sex Mártyrum sángine meruit irrigári. In Philippinas namque insulas Taicózame Japonénsium Tyránnò classem paranti, Petrus Baptista ex órdine Minórum stríctioris Observántiæ Discalceatórum Sacerdos ad pacem suadendam Cathólici Regis nomine Legátus mittitur. Suo igitur múnere felicítè fúnctus, ad Religiónis inerementum, in partem labóris Francisco Blanco aliisque sociis assumptis, ánimus advocavit. Multis proinde Xenódochiis Cænobiis et Ecclesiis per diversa loca Christiáno ritu excitatis ibique per triénnum prædi-

cationi, jejúniis, vigiliis, précibus una cum Francisco Blanco et sociis jugiter instando, atque egenórum, et languéntium ærúmnis miro charitátis ardóre subveniéndò, et fidéles plúrimos in via salutis confirmávit, et gentes innúmeras ad fidem perduxit. *R. Sancti tui.*

## LECTIO V.

**Q**ua de re grávitèr commóti inanium deorum sacerdotés Tyránnum: conveniunt, eique falsis ratióibus persuádent, Impérium diü incólumè non futurum, ni nuper invéctam, et jam undiqüè gliscentem Religiónem à suis finibus exterminándam curáret. Vano ille proptereà timore percússus imperávit illico Religiosos viros tamquàm majestátis reos detineri, díxítque in eos senténtiam crucis. Intèr captivos repti sunt ipse Petrus Baptísta, et Franciscus Blanco cum sociis quatuor, ac Tertiáris quíndecim, quorum alii Cathéchismo, alii sacris Officiis inserviébant, quibus duo in vínculis ministrantes adáucti sunt: ac proindè simul cum aliis tribus ad Societátem Jesu pertinéntibus, sex et viginti Mártyrum númerus expletus est. *R. Verbera carníficum....*

## LECTIO VI.

**P**ost diutúrnos (gitur cárceris labores fortíssimi Christi athletæ in Meáci regni metrópolis forum, ligatis à tergo manibus, tandèm producúntur, eisque in ignomíniæ notam sinistra amputátur aurícula, et bigis impósi per vicos multos

et civitates, præcedente scripta in hasta mortis causa, nempè quod Christum prædicássent, circumferúntur. Has inter oppróbrii contumélias, plúrima étiam à satellitum barbárie perpéssi, sub hiemáli rigore per nives et glácies Nangásacum adducuntur, ibique crúibus affixi, et singuli ab imis latèribus ad húmeros binis lánceis confossi, martyrium divinis in láuditibus consummáruunt. Suorum militum gloriósum certámen signis et miráculis Dóminus condecoráre dignatus est. Quibus rite probatis sacrorum Rituum Congregatio ad eorum canonizationem, quodcumque deveniri posse decrevit; èt Urbanus octavus hábita hujus decreti relatione, Officium pro die quinta Februarii, qua iidem Mártyres passi sunt, ut quotannis celebráretur indulsit. Pius verò Papa sextus die vigésima secunda Julii anno Dómini milléssimo septingentésimo septuagésimo quinto eorum Officium, et Missam pro tota Diócesi Auriensi benignè concessit. (1)

*R. Tanquàm aurum in fornáce....*

## IN III. NOCTURNO.

*Homilia in Evang. Descéndens Jesus, de Commun. plurim. Márt. 2. loc. in Quadrág. Lect. IX. de Homil. Fer., et de ea fit commemor. in Laud.*

## MISSA.

*Ut in Comuni plur. Mart. Salus autèm, orat. ut supr., Evang. de Mis. Sapientiam, Secreta, et Postcommunio, ut infra.*

(1) Ad preces Episc. et Capit. Auriensis in qua Dióces. natus fuit Franciscus Blanco, nempè in Tameiron (nono milliario à Monteregio) anno 1570.

## SECRETÀ.

**O**blátis, quæsumus Dómine, placare munéribus et intercedéntibus Beáteis Martyribus tuis Petro Baptistá, Francisco, et sociis eorum, à cunctis nos defende periculis. *Per Dóminum....*

## POSTCOMMUNIO.

**H**æc nos commúnio, Dómine, purget à crímine: et intercedéntibus Beáteis Martyribus tuis Petro Baptistá, Francisco, et sociis eorum, cœlestis remédii faciat esse consortes. *Per Dóminum....*

---

CHORD

## DIE XIV FEBRUARII

## IN FESTO

**B. JOANNIS BAPTISTÆ A CONCEPTIONE**

FUNDATORIS FRATRUM DISCALCEATOR. ORDINIS SANCTISSIMÆ TRINITATIS, REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

duplex.

*Omnia de communi præter sequentia.*

## ORATIO.

**D**eus, qui ad majorem SANCTISSIMÆ TRINITATIS gloriam propagandam, BEATUM JOANNEM BAPTISTAM Confessorem tuum admirabili spírítus fortitúdine et invicta patiéntia roborásti; concede nobis famúlis tuis, ut ejus imitationi jugitér inhæréntes glóriam assequámur ætérnam. *Per Dóminum....*

## IN II. NOCTURNO.

## LECTIO IV.

**J**OANNES BAPTISTA A CONCEPTIONE in oppido Almodóvar Tolétanæ Diœcesis in Hispânia, Marco et Elisabéthâ genere et Religione illústribus paréntibus natus, ab ip-

sa penè infantia non æquivoca eximiae pietátis et sanctitátis indicia præbuit. Vix sexénis, pœnitentiæ cupidus; áspero lectulo, cilicio, flagellis corpúsculum suum cœpit affligere. Qualis futurus esset iste puer, semèl et iterum S. Theresia ejus genitoribus prænuntiávit, ipsum vaticinando Religiosæ Familiæ Reformatórem, et Sáctum. Adlescens in omnium virtutum exercitio magis proficiens sacramentorum frequentia, ac jugi orationis studio aliis erat exemplo. Abdita interdum quærebat, ut liberius precibus et contemplationi vacaret. Abstinentia fuit admirabili, cibumque sibi subtrahebat, ut famelicus aleret; talique ferebátur misericordia in pauperes, ut quo ipsi licebat modo, iisdem opitularetur. Toles-

tum missus, ut sacris studiis incumbere, nihil de consueta vitae ratione remisit, et castitatem quam novennis ante Beatissimæ Virginis aram voverat, inter pericula, et insidias illibatam servavit. A Deo majora de eo disponente vocatus Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Ordinem ingredi postulavit, votique compos factus fuit.

R. Honestum fecit.

#### LECTIO V.

**A**d tirocinium admissus, singulari spiritus fervore illud explevit, seque Instituto, quod selégerat, solemni emissa professione perpetuò dedicavit. Beatum Simonem de Roxas moderatorem nactus, sub ejus disciplina Sacræ Theologiæ cursum confecit; intérea perfectionis studio ac regulari observantia vel ipsis proveciōribus prævit. Sacerdotio initiatus ad animarum lucra se totum convertit, quo in múnere tantum præstitit, ut nedum peccatores plurimos perditasque mulieres in viam salutis revocaverit, sed et infideles etiam Christo lucrifecerit. Severiorem observantiam vehementer exoptans, primævam sui Ordinis regulam, et Proto-parentum Joannis, et Felicis Institutum instaurare, ac restituere sibi proposuit, suosque Fratres eodem spiritu informare satégit. Romam idcirco se contulit, ut Apostólica auctoritate munus meditatum opus aggredieretur. Incredibile autem dictu est, quot sustinere labores, quot debuérat obstacula superare, ut quod sibi proposuerat perficere posset. Id tandem obtinuit, et à Summo Pontífice Clemente Octavo

Reformatiōnis Indultum, et Apostólicas Litteras impetravit.

R. Amavit eum Dóminus.

#### LECTIO VI.

**I**n Hispániam reversus aliquibus sibi adjunctis sociis, primævam regulæ observantiam, ac rigidiōris disciplinæ rationem in Cænóbio Vailis-Rupium instituit, eo sanè successu, ut priscorum Patrum spiritus revixisse videretur. Plura tamen diu multumque tanto in ópere promovendo perpéti débuit, cum invidus humani géneris hostis et suum exerceórit ódium, et ad injiciendum moras, et Venerabilis Viri frangendam constantiam homines etiam in eum concitáverit, quorum persecutiōnes, ludibria, contumelias, calumnias, Deum pro detractoribus exorando, patientissimè toleravit. Intérea gravibus licet, et diuturnis morbis vexatus, animo minimè concidit, sed uni Deo fidens, cujus glóriam promovére studébat, decem et octo cænóbia virorum, et unum mulierum in summa paupertate et rigidissima observantia fundavit. Tandem non tam annis, quam laboribus ærumnisque confectus, lethalem in morbum incidit, et ad mortis nuntium exclamavit: Latatus sum in his quæ dicta sunt mihi; in domum Dómini ibimus. Ecclesiæ sacramentis devotissimè susceptis, conjéctis in Christum Crucifixum oculis, suis illacrymantibus Fratribus benedicens, Regularem Observantiam, et opus Redemptionis comméndans, qua prædixerat hora, placidissimè in Dómino quíevit decimosexto Kalendas Mártias anno millésimo sexcen-

tésimo décimo tértio ætatis suæ quinquagésimo secundo. Ejus corpus Córdubæ in Collegio sui órdinis honorificè cõditum est: ipsum verò prodigiis tam ante, quàm post óbitum clárum PIUS SEPTIMUS Põntifex Máximus sexto Kaléndas Octóbris anno millésimo octingentésimo décimo nono, Beatórum fástis adscripsit.

*R.* Iste homo....

*Lectiones 3 Nocturni 2 loco.*

MISSA.

*Justus de seundo loco Confes. non Pontif. Epist. ut in festo Ss. Abdon. §c. Mm. die 30 Julii.*

ORATIO.

**D**eus, qui ad majorem SANCTISIMÆ TRINITATIS glóriam propagándam, BEATUM JOANNEM BAPTISTAM Confesorem tuum admirá-

bili spírítus fortitúdone, et invicta patiéntia roborásti; concede nobis famulis tuis, ut ejus imitatióni jugitèr inhæréntes glóriam assequámur æternam. Per Dóminum....

SECRETÀ.

**P**uríficet nos, quæsumus Dómine, múnemis præsentis oblátio, et intercessióne BEATI JOANNIS BAPTISTÆ Confesoris tui fiat per grátiam tuam in nobis spírítus renovátio. Per Dóminum....

POSTCOMMUNIO.

**C**órpõris tui sacri, ac pretiosi Sanguinis, quo redempti sumus, Dómine Jesu Christe, participes effecti, quæsumus, ut intercedente BEATO JOANNE BAPTISTA Confessore tuo, Redemptionis æternæ fructus percipére mereámur. Qui vivis...

DIE XXIII FEBRUARII

IN FESTO

SANCTI PETRI DAMIANI

EPISCOPI OSTIENSIS, CARDINALIS ET ECCLES. DOCTOR.

duplex min.

*In utrisq. vesp. añã. ad magnif. O Doctor, et in Mis. Cr.*

ORATIO.

**C**oncede nos quæsumus, Omnipotens Deus, Beati Petri Confessoris tui atque Pontificis monita et exempla sectari; ut per terrestrium rerum contemptum æterna gaudia consequamur. Per Dominum...

*In 1 Noct. Lect. de Script. occ.; in Quadrages. Fidelis sermo.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

**P**etrus Ravennæ honestis paréntibus natus, adhuc lactens à matre

numerosæ prolis pertæsa abjicitur, sed domesticæ mulieris operâ vivus excéptus ac recreátus genitrici ad humanitatis sensum revocatæ redditur. Utroque orbatus parente tamquàm vile mancipium sub asperâ fratris tutelâ duram servitutem exércuit. Religiónis in Deum ac pietatis erga patrem egrégium tunc spécimèn dédit, inventum siquidem fortè nummum non propriæ inédiæ sublevandæ, sed sacerdoti, qui divinum sacrificium ad illius expiatiónem offérret, erogavit. A Damiano fratre, à quo, uti fertur, cognomentum accépit, ejus cura literis eruditur, in quibus brevi tantùm profécit, ut magistris admirationi esset. Cum autem liberálibus scientiis floreret et nomine, eas cum laude docuit. Interim ut corpus ràtioni subderet, sub móllibus véstibus cilicium adhibuit, jejuniis, vigiliis, et oratióibus solertèr insistens. Calente juventù dum carnis stímulis acritèr urgeretur, insultantium libídinum faces rigéntibus fluvii mersus aquis noctu extinguebat; tunc venerabilia quæque loca obire, totumque psaltérium recitare consuéverat. Ope assiduâ pauperes levabat, quibus frequéntèr pastis convivio, propriis ipse manibus ministrabat.

℞. Invéni Dávid.....

#### LECTIO V.

**P**erficiendæ mágis vitæ causâ, in Abellaniénsi Eugubinæ Diocesis cœnóbio ordinis monachórum Sanctæ Crucis Fontis Avellanæ, à Beato Ludólpho Sancti Romuáldi discipulo fundato, nomen dédit. Non ita multo post in Monastérium Pom-

posianum, mox in cœnóbiùm Sancti Vincéntii Petræ Pertusæ ab Abbate suo missus, utrumque ascetérium verbo sacro præclaris institutióibus et moribus excoluit. Ad suos revocatús post præsidis óbitum Avellanitárum familiæ præficitur, quam novis váriis in locis extrúctis domiciliis et sanctíssimis institutis ita auxit, ut alter ejus ordinis parens ac præcipuum ornamentum jure sit hábitus. Salutarem Petri sollicitúdinem alia quoque diversi instituti cœnóbia, canonicórum conventus et populi sunt experti. Urbináti Dióccesi non uno nomine profuit; Theuróni Episcopo in causa gravíssima assedit, ipsumque in rectè administrádo episcopátu consilio et opera juvit. Divinórum contemplatióne, córporis maceratióibus, cæterisque spectatæ sanctimóniæ exemplis excélluit. His motus Stéphanus nonus Pontifex Máximus eum licet invitum et reluctántem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem creavit et Ostiensem Episcopum. Quas Petrus dignitates splendidíssimis virtútibus et consentáneis episcopáli ministério opéribus gessit.

℞. Posui adjutórium....

#### LECTIO VI.

**D**ifficillimo témpore, Romanæ Ecclesiæ Summisque Pontificibus, doctrina, legatióibus, aliisque susceptis labóribus, miríficè adfuit. Adversus Nicolaitárum et simoniacam hæreses ad mortem usque strenuè decertavit. Hujúsmodi depulsis malis Mediolanénsem Ecclesiæ Romanæ conciliavit. Benedicto et Cadaloo falsis Pontificibus fortitèr res-

titit. Henricum quartum Germániae Regem ab iniquo úxoris divortio deterruit: Ravennates ad debita Romano Pontífici obséquia revocatos sacris restituit. Canónicos Veliternos ad sanctioris vitæ leges composuit. In provincia præsertim Urbinate vix ulla fuit episcopalis ecclesia, de qua Petrus non sit beneméritus; Eugubinam, quam aliquando créditam habuit, multis levavit incommodis: alias alibi, quando oportuit, perindè curavit, ac si suæ essent tutelæ commissæ. Cardinalátu et episcopáli dignitate depositis, nihil de pristina juvandi próximos sedulitate remisit. Jejúnium sextæ feriæ in honorem Sanctæ Crucis Jesu-Christi, horarias Beatæ Dei Genitricis preces, ejusque die sabbato cultum propagavit. Inferendæ quoque sibi verberationis morem ad patratorum scélerum ex-

piationem provexit. Demum sanctitate, doctrinâ, miraculis, et præclarè actis illustris, dum è Ravennate Legatione rediret, Faventiæ octavo kalendas Martii migravit ad Christum. Ejus corpus ibidem apud Cistercienses multis miraculis clarum frequentí populorum veneratione cólitur. Ipsum Faventíni non semel in præsentí discrimine propítium experti patrónum apud Deum delegérunt: Leo verò duodécimus Póntifex Máximus Offícium Missamque in ejus honorem tamquàm Confesoris Pontíficis, quæ aliquibus in Diócesibus ac in Ordine Camaldulénsium jam celebrabantur, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, additâ Doctoris qualitate, ad Universam extendit Ecclésiám.

ry. Iste est....

*In III Nocturno Homil. è cûi. DD.*

Vos estis sal terræ.



## DIE XXV vel XXVI FEBRUARII

IN FESTO

**B. SEBASTIANI AB APPARICIO CONF.**

duplex min.

*Omnia de communi Conf. non Pont. 2 loc. præter seq.*

ORATIO.

**D**eus, qui Beatum Sebastianum Confessorem tuum in simplicitate córdis ambulare fecisti, ac cœlestibus donis cumulasti: concede propítius, ut ejus intercessióne, et puris méntibus tibi servíre, et grátiae tuæ munera consequi valeamus. Per Dóminum...

IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de scriptura occurrente: in Quadrages. Beatus vir.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

**S**EBASTIANUS Gudinae Galleciæ oppidi Diócesis Auriensis ex honesta stirpe in Hispania ortum há-

buit. Ab infantia pié educatus, ac puer pascendis grégibus deditus, nihil puerile gessit in ópere, statimque apparuit, eum ad magnum áliquid portendendum peculiari Dei providentia fuisse præservátum: nam, ut constanti fertur fama, cum duodénnis ex lue contagiósa letháliter decumberet, et solus in semidirúto tugurio esset derelictus, morsu lupi è némore erumpéntis, qui lenítèr tumórem perrúpit, pusque viruléntum planè abstérsit, à mátre illúc redeúnte mirábiliter repertus fuit sanatus. Puerítia domi probè transácta, adoléscentis è paterno solo egresus, Salmánticam secessit, ibique alieno servítio mancipatur: tùm rei agrariæ alibi addictus ut parentum inopiam sublevaret, varia hinc inde expertus est discrimina, in iisque ter mulieres ejus virginitati insidiantes invicte rejecisse perhibetur. Hisce verò periculis valdè commotus in novam Hispaniam, quo evangélica fides nupèr fuerat invecata, proficisci in animum sibi induxit, navimque conscendens cum aliis sociis, quorum convicia æquanimitèr in itinere tulit, próspera tandem navigatione confecta, primò Angelópolis, deinde Mèxicum appulit.

R. Honestum.

#### LECTIO V.

**E**g: ejiæ charitatis ejus in próximum illicò cœpit Mèxici præbere argumenta. Cum enim ibi novo opificio construcendi plaustra, arduoque labori aperiendi vias rectas per impervias sylvas, præsertim eam

quæ è Mèxico ducit ad Zacathecam, totum se daret, pingues opes, quas inde sibi comparabat, in víduis et órphanis alendis, honestis puellis dotandis, alisque hujus generis misericórdiæ opéribus impendebat. Quocirca hóminem multo ære alieno gravatum, atque adeo à licetóribus cáptum, toto debíto generosè solúto, è vestígio ab eorum mánibus liberávit. Hinc tántam virtútis opiniónem adéptus fuit, ut étiám ab Indis ingénita ferocitate depósita obséquium sibi et famulátum præstári mererétur. Núptias, quas olim modéstè abnuerat, postmodum inire decrevit. Itaque bis matrímónium cum honestis virgíribus contráxit, quas támen, iisdem consentiéntibus, intáctas reliquit (1). Quare dæmon váriis módis eum est aggressus: nunc fœda spéctra ferócis táuri, trucisque mauri ei objiciens: nunc venustæ mulferis impúdicè gestiéntis formam induens: sed vir Dei signo Crúcis cuncta hostis molímina vicit. Postrema cónjuge defúncta, Ordini Seráphico adscribi pétiit, ac moniálibus Sanctæ Claræ cúnctis ópibus relictis, voti sui compos jam septuagenárius in statu láici effici meruit.

R. Amavit.

#### LECTIO VI.

**S**olémnibus votis Deo nuncupatis, in omni virtútum genere mirífice enítuit. Summa ei inerat simplicitas, ánimi cándor, mansuetúdo, obediéntia, paupértas, in advérsis item tolerándis eximia patientia. Temperans adeò fuit et

(1) Hinc Pyraustæ nomen adeptus quasi inter flammam innocuus, qui matrímónium S. Joseph cum B. Virgine sibi proposuerit quadantenus imitari.

fortis, ut præter proluxa jejunia et corporis afflictationes noctes insomnes sæpè traduxerit; dignus propterea, cui ut fertur, esurienti in deserto, et omni humana ope destituito, angeli cibaria ministrarent, lassitudine confectum recrearent, dormientem cœlesti splendore circumfulserint, itinerantem à pluvia et nivibus defenderint, ex via devium in rectum tramitem deduxerint, deque uno in alium locum transtulerint. Futuros eventus quoque prænovit, secreta item cœlestia et cordium arcana penetravit, et in ferocióres bélluas absolutum sémper exércuit dominium. Eucharistia sacramentum, quod in extremo morbo ex vomitu præpeditus sumere non póterat, ad se deferri popóscit, et humi stratus, láchrymisque perfusus inenarrabili animi sensu coluit. Senio tandèm confectus, propè centenarius últimum diem placidíssimè Angelópolis clausit (1). Post mortem corpus ejus, quod ex pœniténtia attritum, squálidumque erat, statim formósam

induit spécie, suavemque spiravit odorem. Virtútibus déniquè, et miraculis clarus à Pio sexto Pontífice Máximo in Beatórum cœtum solémnitè est relatus.

R. Iste homo perfecit ómnia.

### IN III. NOCTURNO.

*Homil. in Evang. Nolite timere 2 loc.: cum ult. Evang. Fer. in Quadrag.: Missa Justus, oratio ut supra.*

#### SECRET A.

**H**æc quæ tibi Dómine offérimus dona, Beato Sebastiáno interveniènte, et majestáti tuæ accepta, et humilitáti nostræ salutária reddántur. Per Dóminum.

#### POSTCOMMUNIO.

**D**a nobis, miséricors Deus, ut sacra mensa refecti, quem de divino hoc alimento Beatus Sebastianus fructum percépit, et nos étiam percépere meruamur. Per Dóminum nostrum...



(1) Obiit anno 1600, cum natus esset 1502.

## DIE VI MARTII

IN FESTO.

## S. OLLEGARII EPISCOPI ET CONFES.

duplex.

*Omnia de communi Confessoris Pontificis  
præter sequentia.*

## ORATIO.

**D**eus, qui animam beati Ollegarii Confessoris tui, atque Pontificis in cœlis cum Christo regnantem, et corpus in terris integrum illæsumque conservas: concede propitius, ut ejus intercessione ita in hoc mundo vivamus, ut cum Christo in gloria regnare valeamus. Qui tecum vivit, et regnat.

*Lectiones primi Nocturni, si celebrètur in Quadragesima, Fidelis sermo, de communi primo loco, alias de Scriptura occurrènte.*

## IN II. NOCTURNO.

## LECTIO IV.

**O**llegarius, sive Ildegarius, Barcinone nobili genere natus, adolescens clericali militiæ adscriptus, ac Sanctæ Eulaliæ, urbis patronæ, canonicatu oblatu, liberalibus disciplinis, ac pietatis operibus animinum intendit. Sacris initiatus, ac præpositi dignitate auctus, quo virtutes melius excóleret, ac Deo liberius inserviret, Canonicorum Regularium Lateranesium institutum amplexus est. Ubi cum religiosi hominis ornamenti, et virtutibus ex-

celleret, canonicis regendis admotus, regularem disciplinam mirifice confirmavit. Mox ejus virtutum fama latius emanante, monasterii Sancti Rufi in Provincia abbas electus, ea prudentiæ, ac sanctitatis laude monasterium rexit, ut domus illa spirituálibus cresceret incrementis. Factumque est, ut defuncto in Balleárica expeditione Raymundo Barcinonensi antistite, cum de successore consuleretur, universi populi, ac cleri suffragia Ollegarium (qui fortè tunc aberat), episcopum deposcerent. Vir Dei pastorale onus invicta humilitate declinans, noctu clam aufugiens, in cænóbium Sancti Rufi se recépit. Verùm Paschalis secundi Romani Pontificis (ad quem Comes in Italiam navigans deprecatores miserat) præcepto in virtute sanctæ obediéntiæ, cui cum omni humilitate paruit, per Cardinalem Boxonem Legatum à latere summa omnium gratulatione in throno Barcinonensis Ecclesiæ collocatur.

℞. Inveni David.

## LECTIO V.

**F**actus episcopus, cum morum castitate, verbi Dei prædicatione, atque ecclesiasticæ immunitatis ze-

lo pastoris óptimi partes impléret, ad suscipiendam quoque Tarracónensis Ecclesiæ administratiónem, civitaté pridem è maurórum servitute erépta (licet relúctans) postulátur. Navigans itaque Romam, ad Sanctorum Apostolorum limina visitanda, et mox Gajétam, à Gelásio secundo, qui Pascháli succésse- rat, Archiepiscopus confirmátus, pállio accépto cum ad suos jam es- set revérsus, Romam iterum ad Lateranénse Concilium à Calixto pá- ritèr secundo accersitur. Mox in- génti fidei ardóre succénsus, in Pa- lestínam trajiciens, cum loca sanc- ta viseret, ac præsens veneraré- tur, à Jerosolymítano Patriárcha honori- ficentíssimè exceptus, plúrimos præ- dicatióne et exemplo ad christiá- nam fidem perdúxit. Ad suam tan- dem Ecclesiám reversus, cum to- tum se ad cleri mores reformádos contulisset, iterata Synodórum ce- lebratióne, constitútis erga paupe- res et nosocómia præcipuæ chari- tátis sanctíssimis légibus, eccle- siásticam disciplinam vel restituit, vel firmavit.

℞. Posui adjutórium.

#### LECTIO VI.

**C**um autem ea tempora multis, gravibusque dissensionibus inter Próceres, et Regiones redundarent, Ollegáriuus potens opere et sermone dissidentes ad pacem atque concórdiam magna ex parte revocavit. Quo in stúdio occupátus, cum His- pánia penè tota schísmati Petri Leo- nis adhæreret; Innocéntium secúm-

dum Súmmum Pontíficem, ad Cla- romontánum Concilium infracto á- nimo procedens, egrégie adjuvit: dignus propterea, quod et à Sancto Bernardo Claravallénsi abbate sum- mis laúdis celebraré- tur. Déniquè vir Dei immensis labóribus exháus- tus, cum jam ad Maurórum irrup- tiónes arcédas, Tarracónæ civita- tis mœnia extrui, ac primárium templum in honorem Sanctæ The- clæ ædificari curasset, mortem sibi vicinam prænúntians, in morbum incidit, quo diutiùs afflictátus, cum plúrima humilitátis, paciéntiæ et charitátis documenta præbúisset, ecclesiásticis sacraméntis múnitus, inter láchrymas suspíriaque filió- rum beatum Deo spíritum réddidit pridè Nonas Martii anni millésimi centésimi trigésimi sexti. Post cu- jus mortem Sanctus Vincéntius Fer- rérius prædicavit quoddam insigne miraculum sub his verbis: recité- mus nunc miraculum de Sancto Ol- legáriuio episcopo. Quibus motus Clemens décimus suam festivitatem sub ritu dúplici celebrari ac recita- ri indúlsit. Ejus corpus incorrúp- tum adhuc post quinque sæcula in Ecclesiá Cathedráli Barcinonénsi ja- cet in quodam sepulchro marmó- reo mirábili arte confecto, ubi ho- norificentíssimè cólitur.

℞. Iste est qui ante Deum.

#### IN III. NOCTURNO.

*Homília S. Gregorii Papæ, in Exang. Homo peregre proficiscens, ut in Comm. Confes. Pont. Missa Statuit.*

DIE XV MARTII  
IN FESTO  
**SANCTI RAYMUNDI ABB.**  
FUNDAT. ORD. MILITAR. DE CALATRAVA.  
duplex.

*Omnia de communi Conf. non Pont., præter ea, quæ hic habentur prop. In Hymn. Iste Confes. dicit. .... meruit supremos.*

ORATIO.

**D**eus, qui beato RAYMUNDO Abbati præliari prælia tua et fidei inimicos superare dedisti: concede, ut ejus nos intercessiõne muniti ab hostibus mentis et corporis liberemur. Per Dõminum....

*Lect. 1 Noct. Scriptur.: in Quadrages. Justus si morte.*

IN II. NOCTUNO.

LECTIO IV.

**R**aymündus Canõnicus Ecclesiæ Turiasonensis in regno Aragóniæ, quo divina procùl à mundi strépitu libèriùs contempleretur, superno spiritu afflante, in solitudinem se recepit: deindè cum Cisterciensium monachõrum fama undequaque diffunderetur, illud amplexus est institutum, ac longè lateque evulgata ejus vitæ sanctimõnia, abbas monasterii Beatæ Mariæ de Fitèro constitutus est. Postquàm verbo et exemplo ad omne opus pietatis suos induxisset, copiõsum exercitum fidelium collegit, castrum de Turrungem et Calatravam à Mauris tuendam de manu Sanctii Castellæ regis

suscepit, ac peritiã rei militaris mirabiliter pollens, Saracenos fugavit, multasque urbes expugnavit. Novo, et usque ad ea tempora inaudito exemplo Raymündus monachatui militiam conjunxit: Ordinem militarem de Calatrava nuncupatum et in tota Europa celeberrimum ac à plurimis Summis Pontificibus approbatum instituit sub regula legibus et visitatione Cisterciensium, ex quo alii Ordines militares de Alcántara, de Christo, de Avibus, de Montésia, de Montefranco, de Montegaudio, et de Truxillo eidem religioni Cisterciensi subjecti prodierunt.

B. Honestum fecit illum.

LECTIO V.

**H**æc fuere prima semina inclytæ militiæ, sub qua tot viri, tot Principes, tot Duces, tot etiam aliarum religiosæ militiæ profiterentur. Hujus novi Ordinis milites, quando à prælio abstinebant, adamusim observabant victum, vestitum, psalmodium, contemplationem, opus manum, silentium, vigiliasque, ac denique mutuam quotidianorum defectuum proclamationem, ut

nihil minus à mónachis efficerent. Hinc præceptum est communi assensu et deliberatione Capituli Generalis Cisterciensis, ut illius Ordinis milites essent filii monastèrii Morimúndi, utque Abbas et domus eadem in eos jus illud filiationis haberet, quale in Morimúndo nóscitur habere Cistercium. Eidem militiæ Beatus Raymúndus, ultra ipsam Calatrávæ arcem et oppidum, plura alia loca et castra acquisivit.

R. Amavit....

#### LECTIO VI.

**T**andem vir sanctus utriusque militiæ cœlestis et terrenæ supremus Ductor, post multas victórias partas de Saracénis plures de dæmone, post capúciatas gáleas orbi indúctas cunctis fidei inimicis formidábiles, post homines aptátos utriusque armis, qui et ad sonitum buccinæ leones, et ad tympani scutum ágnos, illud in prælio, hoc in cláustris imitaréntur, plenus dierum et virtútum, anno salutis milésimo centésimo sexagésimo tertio, et sexto regíminis órdinis à se inchoati, ánimam emisit multis post mortem miraculis illustris. Saceræ ejus córporis exuvia Tolétum translata in monastèrio Montis Sion auctoritate Pauli Papæ secundi literis datis die decimaquinta mensis Martii anno millésimo quadringentésimo sexagésimo octavo, super altaris aram ad epístolæ cornu decentèr collocatæ fuerunt, additis à Summo Pontifice indulgéntiis iis, qui eum locum devotè visitáverint.

R. Iste homo.

#### IN III. NOCTURNO.

Léctio Sancti Evangélii secundum Lucam. *Cap. 3.*

#### LECTIO VII.

**I**n illo témpore: dicebat Joannes ad turbas, quæ exhibant ut baptizarentur ab ipso: Genúmina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

*In exhortatione ad milites templi.*

**S**i percútere in gládio omniño fas non est christiáno, cur ergo præco Salvatóris contentos fore suis stipéndiis militibus indixit, et non potius omnem eis militiam interdixit? Sed securè dissipéntur gentes, quæ bella volunt, et abseindántur qui nos conturbant. Exerátur gladius uterque fidélium in cervices inimicórum ad destruéndam omnem altitúdinem extolléntem se adversus sciéntiam Dei, quæ est christiánorum fides; ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eórum? Porro imminente bello, intus fide foris ferro non auro se múniant, quatenús armati, et non ornati, hostibus metum incúntiant, non provócent avaritiam. Deindè non turbulénti aut impetuósi et quasi ex levitate præcipites, sed eonsultè atque cum omni cautela et providéntia seipsos ordinántes et disponentes in áciem, juxta quod de pátribus scriptum est: Veri profectò Israelitæ procedunt ad bella pacifici.

R. Iste est qui ante Deum.

## LECTIO VIII.

**A**t verò ubi ventum fuerit ad certamen, tùm demùm pristina lenitãte postpòsita, tanquàm si dicerent: Nonne qui odérunt te Dóminè óderam, et super inimicos tuos tabescebam? irruunt in adversários, hostes velut oves repútant, nequaquam, etsi paucíssimi, vel sævam barbáriem vel numerósam multitudinem formidantes. Noverunt síquidem non de suis præsumere víribus, sed de virtute Dómini Sábaoth sperare victóriam, cui nimirùm facilè esse confidunt, juxta senténtiam Machabæi, conclúdi multos in manus paucórum, et non esse differéntiam in conspectu Dei cœli liberare in multis et in páucis: quia non in multitudine exercitus est victória belli, sed de cœlo fortitudo est. ¶ Ita déniquè miro quodam, ac singulari modo cernuntur, et agnis mitióres, et leónibus ferocióres: ut penè dúbitem, quid potiùs censeam appellãndos, mónachos videlicèt, an milites; nisi quod utrumque forsam congruëntius nominárim, quibus neutrum deesse cognóscitur, nec mónachi mansuetúdo, nec militis fortitúdo. De qua re quid dicéndum, nisi quod à Dómino factum est istud, et est mirábile in óculis nostris? Tales sibi elegit Deus, et collegit à finibus

terræ ministros ex fortíssimis Israel, qui veri lectulum Salomónis vigilanter fidelitèrque custódiant, omnes tenentes gládios, et ad bella doctíssimi.

℞. Sint lumbi.

*Nona lect. leg. de Homil. ser. occurrent. : sed cum transf. extr. Quadrag. 8 lect. divid. et 9 incip. Ita denique. Mis. Os justi, de Cũi. Abb. cum orat. ut supr. et Evg. pr. ut sequitur:*

✠ Sequéntia sancti Evangélii secundum Lucam.

CAP. 3. v. 7.

**I**n illo témpore: Dicebat Joannes ad turbas, quæ exibant ut baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fúgere à venturã irè? Facite ergo fructus dignos pœniténtiæ, et ne ceperitis dicere: Patrem habemus Abraham: Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapídibus istis suscitare filios Abrahæ. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidétur, et in ignem mittetur. Interrogabant autem eum et milites dicentes: Quid faciémus et nos? Et ait illis: Neminem concutiátis, neque calúmniã faciátis, et contenti estote stipendiis vestris.



DIE XXVIII APRILIS  
IN FESTO  
SANCTI PRUDENTII EPISC. ET CONF.

*Omnia de communi Confessoris Pontificis.*

**D**eus largitor pacis, qui Prudentio Confessori tuo atque Pontifici mirificam dissidentes animos componendi gratiam tribuisti: da quaesumus: ut ejus meritis et intercessione veram cum tua voluntate concordiam jugiter servemus. Per Dominum...

IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

**P**rudentius natione Hispanus, piis parentibus natus, ut vetustissima acta tradunt, in Armenia, urbe quondam Provinciae Alavensis, ab ipsa pueritia magna sanctitatis prae-buit argumenta: et simplex rectus et limens Deum, aetate simul et virtutibus crevit. In prima ipsa juventute, ut animum a mundi illecebris custodiret, in eremum secessit, ubi asperissimo vivendi genere corpus in servitutum redégit, jugi caelestium rerum contemplationi et sacrarum literarum studio vacans. Defuncto Saturio, quo usus fuerat eremiticae vitae socio atque magistro, voce divina admonitus ad civitatem Calagurritanam projectus est. Tu autem.

℞. Inveni David.

LECTIO V.

**E**a in urbe poenitentis habitu indutus, in cinere, et cilio ita insectatus est pravos populorum mores increpando admonendo concionando, ut collapsam in illis pietatem in pristinum restituerit, contumelias injurias et verbera propter Christum patiens, ejus sanctitatis bonus odor cum universam illam nationem pervaserit, Prudentius abhorrens celebritatem sui nominis clam Turiasonem aufugit, et inter minores ejus ecclesiae clericos adscitus tandiu delituit, donec cognita viri sanctimonia atque doctrina, ab illo episcopo presbiter ordinatus est, et archidiaconus deinde constitutus: quo in munere, cum praeclariora in dies ederet virtutum exempla, conceditum ei fuit regimen vacantis ecclesiae Turiasonensis, atque reluctans et nolens in ejus cathedra omnium votis collocatus est. Tu autem.

℞. Posui adiutorium.

LECTIO VI.

**E**piscopali autem dignitate commissum sibi gregem pascens monitis consiliis scientia verbo et exemplo, innumeros peccatores ad viam salutis revocavit. Eximia fuit ejus prudentia charitas mansuetudo et misericordia, praesertim in

páuperes, erga quos, ut largior esset, necesária sibi detraxit. Pecuniari qua pollébat grátia, dissidentes ánimos sedándi, Oxomam áccitus, ut ea dissidia componeret, quæ inter elérum et cives jam diù exarsérant, ad pacem et concórdiam statim illos adduxit, divínis étiam ut fertur accedéntibus prodigiis, ibidem gravi morbo correptus, magnis labóribus exantlátis, qua prædixerat hora obdormívit in Dómino máxima sanctimóniæ fáma et miráculis clarus. Ejus corpus delátum ad montem Latúrtium eo lo-

co publicæ fidélium veneratióni expositum fuit, in quo nunc ab ejus nomine ecclésia Sancti Prudentii nuncupatur. Tu autem Dómine.

By. Iste est qui ante:

### IN III. NOCTURNO.

*Homília in Evangélium Homo peregre proficiscens, de Com. 1 loco: nona lectio et com. S. Vitális M. ut in corpore Brev.*

*Missa Státuit ei Dóminus, cum omnibus, præter oratiónem, ut ibi, et com. S. Vitális.*

---

## DIE XXX MAII

### IN FESTO

## SANCTI FERDINANDI, REGIS.

EX CONCESSIONE PII VII PRO HISPANIIS DIE 21 SEPT. 1819.

### AD VESPERAS.

*Ant. Clamábunt ad Dóminum.. cum reliquis, ut in Laudib. Psalm. Dixit Dóminus.... ut in Comm. et loco ultimi Psalmi Laudate Dóminum omnes Gentes....*

### CAPITULUM.

1. *Machab. 3. v. 18. 19.*

**F**ácile est conclúdi multos in manus paucórum, et non est differentia in conspéctu Dei cæli, liberáre in multis, et in paucis, quóniam non in multitudíne exercitus victória belli, sed de cælo fortitúdo est.

### HYMNUS.

**Q**uæle cum cælum tonat, atque densæ  
Fúlgurant nubes, ruit, et vagátur  
Fulmen in partes várias, agente  
Núminis ira:  
Arcium prodest nihil alta moles  
Túrbinem contra, volucrésque  
flammas,  
Missus è cælo ruit ultor ignis,  
Summaque tangit:  
Non secus circum metuenda ducens  
Arma Fernándus premit acer  
hostes,  
Pérsonnant latè loca militári  
Pulsa fragóre,  
¿ Quid ducem contra válidum phalanges

Pérfidi Máuri potúere? ¿quanta  
Strage vexíllium vólitans, cru-  
cisque

Tésera vicit?

Agminum Ductor, Deus unus, una  
In tribus virtus, tibi corda sem-  
per

Glóriam cantent, tibi nostra soli  
Arma triúmphent. Amén.

ŷ. Amávit eum Dóminus, et  
ornávit eum;

ŕ. Stolam glóriæ induit eum.

#### AD MAGNIFICAT.

*Ant. Ps. 82. vv. 8. 13. 14. 19.*  
Agaréni, et alienígenæ dixérunt:  
Hæreditáte possideámus sanctuá-  
rium Dei. Deus meus, pone illos  
ut rotam; et sicut stípulam ante fá-  
ciem venti, et cognóscant quia no-  
men tibi Dóminus: tu solus altís-  
simus in omni terra.

#### ORATIO.

**D**eus, qui beáto Confessóri tuo  
Ferdinándo præliári prælia tua, et  
fidei inimicos superáre dedisti: con-  
céde; ut ejus nos intercessióne mun-  
nti, ab hóstibus mentis et córpo-  
ris liberémur: Per Dóminum....

#### AD MATUTINUM.

##### INVITATORIUM.

Regem Regum, et Dóminum  
dominántium, \* Veníte, adorémus.  
*Psalm. Veníte, exultémus....*

#### HYMNUS.

**N**on decus vanum vel iníqua láu-  
dis  
Aura Fernándum, neque cæcus  
ardor

Impium Máurum mérita domáre.  
Cæde cóegit.

Cháritas movit patriæ, sídesque  
Cordis accénsis animáta flammis,  
Pulchra virtútum comitánte lon-  
go

Ordine virtus.

Sub jugo máuræ ditiónis olim  
Hispalis longum genuisse docta,  
Pristinæ demum reparávit altos  
Legis honóres.

Inde vicinas éadem beávit  
Fáustitas urbes, pietas revixit,  
Et salus et pax et ubíque moris  
Cultus honésti.

Agminum Ductor, Deus unus, una  
In tribus virtus, tibi corda sem-  
per

Glóriam cantent, tibi nostra soli  
Arma triúmphent.

*Ant. 1. Reg. 13. 14.* Quæsívit  
Dóminus sibi virum juxta cor suum:  
et præcépit ei ut esset Dux super  
pópulum suum. *Psalm. Beátus vir...  
Cum reliquis de Commun. Conf.  
non Pont.*

*Ant. 2. Paralip. 17. 5. 12.*  
Confirmávit Dóminus regnum in  
manu ejus, crevit et magnificátus  
est usque in sublime.

*Ant. Eccles. 1. 12. 16. et 2. v. 9.*  
Fui Rex Israel in Jerúsalem: ec-  
ce magnus effectus sum: sapiéntia  
quoque perseverávit mecum.

ŷ. Amávit eum Dóminus et  
ornávit eum:

ŕ. Stolam glóriæ induit eum.

#### IN I. NOCTURNO.

Lecciónes de libro Sapiéntiæ.  
*Sap. 6. vers. 2. et seq. et cap. 8.*

**A**LECTIO I.  
Audíte, reges, et intelligite,  
dísce júdices finium terræ. Præ-

bête aures vos, qui continétis multitudines, et placétis vobis in turbis nationum: quóniam data est à Dómino potéstas vobis, et virtus ab Altíssimo, qui interrogábit ópera vestra, et cogitatiónes scrutábitur. Ad vos ergo reges sunt hi sermónes mei, ut discátis sapiéntiam, et non excidátis. Qui enim custodierint justa justè, justificábuntur; et qui didicerint ista, invénient quid respóndeat. Concupiscite ergo sermónes meos, diligite illos, et habébitis disciplinam. Clara est et quæ numquam marcescit sapiéntia, et fácilè vidétur ab his, qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior osténdat. Tu autem....

R. 3. Reg. 3. vv. 7. 9.

Dómine Deus, tu regnâre fecisti servum tuum pro patre meo; ego autem sum puer párvulus ignórans egressum, et intróitum meum. \* Dabis ergo servo tuo cor dócile, ut pópulum tuum judicâre possit.

ŷ. Quis enim póterit judicâre pópulum istum, pópulum hunc tuum multum. Dabis...

#### LECTIO II.

**Q**ui de luce vigiláverit ad illam, non laborábit: assidéntem enim illam fóribus suis invéniet. Cogitâre ergo de illa, sensus est consummátus: et qui vigiláverit propter illam, citò secúrus erit. Quóniam dignos se ipsa circuit quærens, et in viis osténdit se illis hiláriter, et in omni providéntia occúrrit illis. Intium enim illius veríssima est disciplinæ concupiscéntia. Cura ergo disciplinæ diléctio est: et dilec-

tio custódia legum illius est: custoditio autem legum consummátio incorruptiόνis est: incorruptio autem facit esse próximum Deo. Concupiscéntia itaque sapiéntiæ dedúcit ad regnum perpétuum. Tu autem ..

R. Job. 29. vv. 13. 16. Benedictio perituri super me veniébat, et cor viduæ consolátus sum: \* pater eram páuperum: et cáusam, quam nesciébam, diligentíssimè investigábam.

ŷ. Prov. 29. 14. Rex, qui júdicat in veritate páuperes, thronus ejus in ætérnum firmábitur. Pater eram....

#### LECTIO III.

**S**i ergo delectámini sédibus et sceptris, ò Reges pópuli, diligite sapiéntiam, ut in perpétuum regnétis: diligite lumen sapiéntiæ omnes, qui præéstis pópulis. Habébo propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis: et acúsus invéniam in júdicio, et in conspéctu poténtium admirábilis ero, et fácies principum mirábuntur me: tacéntem me suslinébunt, et loqúentem me respicient, et sermocinántem me plura, manus ori suo impónent. Præterea habébo per hanc immortalitátem: et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam. Dispónam pópulos: et natiónes mihi erunt subditæ. Timébunt me audiéntes reges horréndi: in multitudine vidébor bonus, et in bello fortis. Tu autem.....

R. Job. 29. vv. 7. 9. 10. Quando procedébam ad portam civitátis, et in platéa parábant cá-

thédram mihi: \* Príncipes cessábant loqui, et dígitum superponébant ori suo, vocem suam cohibébant duces.

ŷ. *Proverb. 20. 8.* Rex, qui sedet in sólio iudícii, díssipat omne malum intúitu suo. Príncipes.... Glória Patri.... Príncipes....

### IN III. NOCTURNO.

*Ant. Judicum 6. 15.* ¿ In quo liberábo Israel? Ecce familia mea ínfima est: et ego mínimus in domo patris mei.

*Ant. 4. Reg. 18. 5.* In Dómino Deo Israel sperávit: itaque post eum non fuit similis ei de cunctis régibus.

*Ant. Paral. 34. 33.* Abstulit cunctas abominatiónes de univérsis regiónibus filiórum Israel: et fecit omnes servíre Dómino Deo suo.

ŷ. Os iusti meditábitur sapiéntiam.

R. Et lingua ejus loquétur iudícium.

### LECTIO IV.

**F**erdinándus tértius Castellæ et Legiónis Rex cui Sancti cognóméntum jam indè à quátuor séculis ecclesiárum et seculórum consénsus dedére, tantum prudéntiæ adolescens adhúc spécimen præbuit, ut Berengária mater Castellæ Rgína, à qua persanctè educátus fuerat, abdicátum à se regnum in filium transtúlerit. In eo adjúctis regni curis, régiæ virtútes emicuére, magnánimitas cleméntia iustitia, et præceteris chatólicæ fidei zelus, ejusque religiósi cultus tuéndi ac propagándi ardens stúdiúm. Id præ-

stitit in primis hæréticos insectándo, quos nullibi regnórum suórum consistere passus, própriis ipse má-nibus ligna comburéndis damnátis ad rogam advehébat. Præstitit insuper in erigéndis, dotándis et consecrándis christiáno ritu Cordubénsi, Giennénsi, Hispalénsi, et aliárum úrbium ecclésiis, máurico ereptárum jugo, simúlque in instaurándis primáriis templis Toletáno, Burgénsi, et aliis, pia et régia munificéntia.

R. *Isai. 13. vv. 2. 4.* Leváte signum, exaltáte vocem, leváte manum: vox multitudínis in móntibus, vox géntium congregatárum, \* Dóminus exercítuum præcépit militiæ belli.

ŷ. *1. Reg. 25. vv. 28. 29.* Prælia Dómini tui præliáris, et inimicórum tuórum ánima rotábitur quasi in ímpetu, et círculo fundæ. Dóminus exercítuum....

### LECTIO V.

**I**nter hæc per Castellæ et Legiónes regnum, in quo patri Alphónso succésserat, colléctis magnis exercítibus, ánnuas expeditiões contra saracénos, christiáni nóminis hostes suscepit. In quibus ut semper vínceret, præcipui exércitus fuére preces píssimi regis ad Deum fusæ, et quod ante pugnam, ut sibi Deum propitiáret, flagris in se sæviébat, atque áspero cilicio muniébat corpus, sicque insignes contra íngéntes maurórum ácies victórias reportávit, et plures urbes christiáno cultui imperióque restituit: et conquistis Gienni Córdoba, et Múrciæ Regnis, ac Grána-ténsi vectigáli factó, ad expugnán-

dam Hispalim primariam Bœticæ urbem, hortante in visione (ut traditum est) beato Isidoro olim illius urbis episcopo, victricia signa transtulit. In ea obsidione (ut fertur) præsentem divinam opem habuit: nam ferream catenam, quæ super Bœtim transversim extensa mahometanis pro repagulo erat, coorto validiori vento, una ex navivus regis, regis jussu eo delata, tanto impetu fregit, ut longius prætervècta pontemquoque ligneum et simul spes maurorum obruperit, et ad deditiõnem coegerit.

*Ꝟ. Judic. 7. v. 15.* Cum audisset Gedeon somnium, et interpretationem ejus, adoravit: et reverentem est ad castra, \* Et ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian.

*ꝟ. Exod. 14. v. 24.* Advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra, interfecit exercitum, et subvertit rotas curruum. Dixérunt ergo: fugiamus. Et ait...

#### LECTIO VI.

**T**ot victorias beatæ virginis Mariæ patrocinio serébat acceptas, cujus imaginem secum in castris habens peculiari cultu prosequébatur. Capta Hispali, prima religiónis cura fuit: nam templum maurorum expiatum, et christianorum dedicatum sacris, insigni Archiepiscopatu, et honestissimo canonicó-

rum et dignitatum collégio régia et religiõsa liberalitate exornavit. Alia deinde in urbe templa et cœnobia erexit: inter quæ pietatis officia, dum trajicere in Africam parat, mahometanum in ea imperium exersurus, ad cœlestem régiam vocatur. In extremo vitæ agone sacram Eucharistiam pro viatico allatam, fune ad collum alligato, et humi stratus, cum lacrymis ubertim fuis adorans, eaque dignis reverentiæ, humilitatis et catholicæ fidei obtestationibus accepta, obdormivit in Domino. Jacet ejus corpus incorruptum adhuc post quatuor sæcula (1) in templo máximo Hispalensi honorificentissimo inclusum sepulchro (2).

*Ꝟ. Josue 6. v. 1. et seq.* Jéricho clausa erat, atque munita, et nullus egrédi audébat, aut ingredi. Dixitque Dominus ad Jósue: Ecce dedi in manu tua Jéricho, et regem ejus, omnesque fortes viros: \* Clamate, et vociferamini, ite, et circuite civitatem armati, præcedentes arcam Domini.

*ꝟ. V. 20.* Omni pópulo vociferante, et clangentibus tubis, cepérunt civitatem. Clamate..... Glória Patri.... Clamate....

#### IN III. NOCTURNO.

*Ant. 1. Reg. 18. 6.* Egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes chorosque ducentes in occursum regis in tympanis lætitiæ et in sistris.

(1) Hæc sæculo XVII sub Gregorio XV.

(2) Obiit 31 Maji 1252 ætatis LIII. — Martinus Sarmiento Benedictinus eruditissimus S. Ferdinandum in Callæciâ non educatum modò sed et natum rationibus non contemnendis arbitratur. Certè Auriam commoratus plura huic ecclesiæ et Laurentio episcopo præstitit beneficia.

*Ant. 1. Mach. 3. v. 5. 6.*  
Qui conturbábant pópulum suum,  
eos succéndit flammis, et omnes  
operárii iniquitátis conturbáti sunt.

*Ant 2. Regum 7. 9. 11.* Fui  
tecum in ómnibus, ubicúmque  
ambulásti, firmans regnum tuum:  
fecique tibi nomen grande, et ré-  
quiem dedi tibi ab ómnibus inimi-  
cis tuis.

ŷ. Lex Dei ejus in corde ipsius;  
ꝫ. Et non supplantabúntur gres-  
sus ejus. Pater noster....

Lectio sancti Evangelii secún-  
dum Matthæum.

*Cap. 22. v. 13. et seq.*

**I**n illo tēpore: Pharissæi consi-  
lium iniérunt, ut cáperent Jesum  
in sermōne. Et réliqua.

Homilia S. Leónis Papæ.

*Serm. 10. de Passione. Dómini.*

#### LECTIO VII.

**C**um multis modis, dilectíssimi,  
judáica impietas laboráret, ut occa-  
sionem áliquam perpetránde in Dó-  
minum Jesum scéleris inveníret,  
hoc quasi insuperábile reperérunt,  
ut Dóminum mundi affectáti regni  
invidiá perurgérent, calumniósè et  
mináciter conclamárunt: Si hunc  
dimittis, non es amicus Cæsaris:  
omnis enim, qui se regem facit,  
contradicít Cæsari. Sed formidá-  
bile fúerit nomen régium, ut pro Im-  
pério Cæsaris ópprimi debúerit no-  
væ molitio potestátis, si dominán-  
di consilium tyránnicus tibi pródi-  
dit apparátus, si provisio armórum,  
si divitiárum congregátio, si præ-  
sidia detécta sunt militum. ¿ Quid

eum gravári sinis de affectáta po-  
ténlia, cujus speciális fuit de hu-  
militáte doctrina? Románis légi-  
bus non contradixit, census súbiit,  
didráchma solvit, vectigália non in-  
hibuit, quæ Dei sunt, Deo, et quæ  
sunt Cæsaris, Cæsari reddénda consti-  
tuit. Paupertátem elégit, obedién-  
tiam suásit, mansuetúdinem præ-  
dicávit: hoc est verè non impugná-  
re Cæsarem, sed juvare. Tu au-  
tem....

ꝫ. *4. Regum 23. vv. 8. 4.* Con-  
gregávit omnes sacerdotés de civi-  
tátibus Juda, et contaminávit ex-  
celsa. \* Præcepitque rex pontífici,  
et sacerdotibus secúndi órdis, ut  
projicerent de templo ómnia vasa,  
quæ facta fúerant Baal.

ŷ. *Ibid. v. 2.* Ascéndit rex  
templum Dómini, et omnes viri Ju-  
da cum eo, sacerdotés, et prophé-  
tæ. Præcepitque rex....

#### LECTIO VIII.

*Ad Marcian. Augustum. Epist. 89.*

**U**nde ineffábiliter Deo grátias a-  
go, qui eo tēpore, quo oboritú-  
ra hæreticórum scándala præscié-  
bat, in impérii vos fastigio collo-  
cávit, in quibus ad totius mundi  
salútem et régia poténlia et sacer-  
dotális vigéret indústria. Multa mi-  
hi in ómnibus causa gaudénde est,  
dum ex magna divínæ providéntiæ  
misericórdia præstitútum humanis  
rebus expérior, quod ecclesiásti-  
cam pacem, quæ nonnisi unitáte  
prædicatiónis evangélicæ custodí-  
tur, piíssimo stúdio juvare digná-  
mini: ut fidei vestræ glória non so-  
lum utilitáte reipúblicæ, sed étiam  
religiónis profécibus augeatur, glo-

riosissime Auguste. Mihi autem multum fiduciæ, Deo per vos operante, collatum est, quod probasse vos observantiam de custodia canonum paternorum pietatis vestræ affectibus indicastis. Et merito geminatur gaudium meum, cum vobis religiosissime placere cognosco, ut et fides suam teneat firmitatem, et privilegia ecclesiarum illibata permaneant. Tu autem...

*xx. Ecclesiast. 18. vv. 1. 2. 3.* Manet invictus rex in æternum. *¿* Quis sufficit enarrare opera illius? *¿* Quis investigavit magnalia ejus? \* *Apocal. 15. v. 3. 4.* Magna, et mirabilia sunt opera tua, rex sæculorum. *¿* Quis non timebit te?

*ŷ. Ecclesiast. 1. 13.* Timeñti Dñm bene erit in extrémis, et in die defunctiõnis suæ benedicetur. Magna, et mirabilia... Glória Patri.... Magna...

#### LECTIO IX.

*Ad Leon. August. 125.*

**A**pod christianissimum igitur principem, et inter Christi prædicatores digno honore numerandum, utor catholice Fidei libertate, et ad consortium te Apostolorum et Prophetarum securus exhortor: ut constanter despicias, ac repellas eos, qui ipsi se christiano nomine privare: nec patiaris impios parricidas sacrilega simulatione de fide agere, quos constat fidem velle vacuare. Cum enim clementiam tuam Dominus tanta sacramenti sui illuminatione ditaverit, debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad ecclesie præ-

sidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, et quæ bene sunt statuta defendas, et veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas, depellendo scilicet invasores juris alieni, ut correctionibus tuis Dei iracundia mitigata, regie civitati non retribuatur quæ admissa sunt, sed remittat. Constitue ante oculos cordis tui, Venerabilis Imperator, omnes qui per totum orbem sunt Domini sacerdotes, pro ea tibi fide, in qua totius mundi est redemptio, supplicare.

Te Deum laudamus...

#### AD LAUDES, ET PER HORAS.

*Ant. Isaia 19. v. 20.* Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, et mittet eis propugnatorem, qui liberet eos.

*Ant. 1. Machab. 13. v. 6.* Vindicta gentem meam, et sancta, quia congregatae sunt gentes conterere nos inimicitiae gratia.

*Ant. 1. Mach. 13. v. 7. et seq.* Et accensus est spiritus populi, dicentes: Tu es dux noster, pugna praelium nostrum, et omnia quaecumque dixeris nobis, faciemus.

*Ant. Baruch. 4. v. 21.* Animæquiores estote, filii, clamate ad Dominum, et eripiet vos de manu principum inimicorum.

*Ant. Joel. 3. vv. 9. 10.* Sanctificate bellum, suscite robustos, accedant, ascendant omnes viri bellicatores. Infirmus dicat: Quia fortis ego sum.

CAPITULUM Facile est concludi.... ut in Vesperis.

## HYMNUS.

**B**ella gesturus pia Ferdinándus,  
Non timet fatum, dubiámve sor-  
tem:

Spem fovet certam, Súperúm  
benígna

Luce vocátus.

Férreos nexus ratis acta venti  
Impetu frangit; stupet, atque  
vinci

Bœtis exúltat, placidásque vol-  
vit

Mólliús undas.

Ipsa victrices veneránda Virgo  
Antéit turmas, ope cujus urget  
Rex pius bellum, superátque  
pugnà

Victor in omni.

Vicit et mortem, super astra nam-  
que,

Et super cœlos ánima recépta,  
Integrum corpus sine labe gratos  
Spírat odóres.

Agminum Ductor, Deus unus, una  
In tribus virtus, tibi corda sem-  
per

Glóriam cantent, tibi nostra soli  
Arma triúmphant. Amén.

ŷ. Justum dedúxit Dóminus  
per vias rectas;

Œ. Et osténdit illi regnum Dei.

## AD BENEDICTUS.

*Ant.* 1. Paralip. 29. v. 9. 10.  
11. 12. Rex lætátus est gáudio  
magna, benedixítque Dómino, et  
ait: Benedictus es, Dómine Deus  
Israel: tua est magnificéntia et po-  
téntia et glória atque victória: tu  
domináris ómnium, et tu es super  
omnes príncipes.

## ORATIO.

**D**eus, qui beáto Confessóri tuo  
Ferdinándo præliári prælia tua et  
fidei inimícos superáre dedísti: con-  
céde; ut ejus nos intercessióne mu-  
nítí ab hóstibus mentis et córpo-  
ris liberémur. Per Dóminum...

## AD PRIMAM.

*Ant.* Clamábunt ad Dóminum...  
*ut in Láudibus.*

## AD TERTIAM.

*Ant.* Vindicábo gentem.... *ibi-  
dem.*

## CAPITULUM.

1. Machab. 3. v. 18. 19.

**F**ácile est conclúdi multos in ma-  
nus paucórum: et non est differén-  
tia in conspéctu Dei cœli liberáre  
in multis, et in páucis, quóniam  
non in multítudine exércitus vic-  
tória belli, sed de cœlo fortitúdo  
est.

Œ *brev.* Amávit eum Dóminus...  
*ut in Commun. Conf. non Pont.*

## AD SEXTAM.

*Ant.* Et accénsus est... *ut in  
Láudibus.*

## CAPITULUM.

Proverb. 16. vv. 15. 16.

**I**n hilaritáte vultus regis, vita: et  
cleméntia ejus quasi imber seróti-  
nus. Pósside sapiéntiam, quia auro  
mélior est: et acquire prudéntiam,  
quia pretiósior est argénto.

Œ *brev.* Os justí meditábitur  
sapiéntiam.... *ut supra.*

## AD NONAM.

*Ant.* Sanctificáte bellum... *ut in Láudibus.*

## CAPITULUM.

2. *Reg.* 22. vv. 32. 33.

**Q**uis est Deus præter Dóminum: et quis fortis præter Deum nostrum? Deus, qui accinxit me fortitúdine, et complanávit perfectam viam meam.

*ꝛ. brev.* Lex Dei ejus... *ut supr.*

*In secúndis Vésperis, ómnia ut in primis.*

*ꝥ.* Justum dedúxit Dóminus per vias rectas;

*ꝛ.* Et osténdit illi Regnum Dei.

## AD MAGNIFICAT.

*Ant.* *Daniel.* 2. vv. 19. 20. 21. 23. Benedíxit Deum cæli, et loquútus ait: Sit nomen Dómini benedíctum à século, et usque in séculum: quia sapiéntia, et fortitúdo ejus sunt. Et ipse mutat témpora, et ætátes: transfert regna, atque constituit. Tibi, Deus patrum nostrórum, confiteor, teque láudo: quia sapiéntiam et fortitúdinem dedisti mihi.

*ORATIO.* Deus, qui beáto... *ut suprâ.*

*Infra Octavam, Lectiões primi Noctúrni de Scriptúra occurrénte.*

*In secúndo Noctúrno, Lectiões ut in Breviário pro Hispânia.*

*Réliqua ut in hoc Officio propr.*

## FERIA SEXTA

*Immediatè post Octavam Sanctíssimi Córporis Christi.*

## OFFICIUM SANCTÍSSIMI CORDIS JESU

*duplex secundæ clasis.*

EX CONCESSIONE PII VII PRO HISPANIIS DIE 7 DEC. 1815.

## AD VESPERAS.

*Ant.* De torrénate in via bibet, propterea exaltávit caput. *Psalm.* Dixit Dóminus: *ut in Dominica ad vésperas.*

*Ant.* Miserátor Dóminus redemptiõnem missit pópulo suo. *Ps.* Confitébor tibi Dómine in toto corde meo: *ut in Dominica ad vesp.*

*Ant.* Apud Dóminum misericórdia et copiósa apud eum redemptio. *Psalm.* Deprofúndis: *ut in Fer. 4. ad vesp.*

*Ant.* Super misericórdia tua Dómine, confitébor tibi in toto corde meo. *Psalm.* Confitébor: *ut in Fer. 6 ad vesp.*

*Ant.* Suávis Dóminus univér-sis, et miseratiões ejus super ómnia ópera ejus. *Psalm.* Exaltábo te: *ut in Sab. ad vesp.*

CAPITULUM. *CANT.* 3. 11.

**E**gredimini et vidéte filiæ Sion regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua in

die desponsationis ejus, et in die lætitiæ cordis ejus.

*Hymnus.* Quicumque: *ut infra ad Matut.*

† Misericors et misericors Dominus.

℞. Longanimis et multum misericors.

#### AD MAGNIFICAT.

*Ant.* Misericordia Domini à progénie in progénies timéntibus eum, Allelúya.

#### ORATIO.

**F**ac nos, Domine Jesu, Sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflamari; ut et imagini bonitatis tuæ conformes, et tuæ redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis.

*Deinde fit commemoratio octavæ Corporis Christi.*

*Ant.* O Sacrum convivium.

† Panem de cælo, &c.

ORATIO: Deus, qui nobis sub Sacramento &c.

*Ad Matut. Invitat.* Cor Jesu charitatis victimam. \* Venite adoremus.

#### H Y M N U S.

**Q**uicumque certum quæritis  
Rebus levamen asperis:  
Seu culpa mordet anxia,  
Seu pœna vos præmit còmes.  
Jesu, qui ut agnus innocens,  
Sese immolandum tradidit,  
Ad cor reclusum vulnere,  
Ad mite cor accédite.  
Auditis ut suavissimis  
Invitet omnes vòcibus?

Venite, quos gravat labor,  
Præmitque pòndus criminum.

Quid corde Jesu mitius?

Jesum cruce qui affixerant  
Excusat, et Patrem rogat,  
Ne perdat ultor impios.

O cor, voluptas cœlitum,  
Cor fida spes mortalium,  
En hîsce tracti vòcibus,  
Ad te venimus supplices.

Tu nostra terge vulnera,  
Ex te fluente sanguine;  
Tu da novum cor omnibus,  
Qui te geméntes invocant.  
Amén.

*In 1. Noct. Ant.* Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.

#### PSALMUS 21.

**D**eus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti: \* longè à salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, et non exaudies: \* et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas: \* Laus Israël.

In te speraverunt patres nostri: \* speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: \* in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis et non homo, \* opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: \* locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: \* salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxisti me de ventre: \* spes meæ ab ubéribus matris meæ. In te projectus sum ex utero.

De ventre matris meæ Deus meus es tu: \* ne discésseris à me.

Quóniam tribulatio próxima est: \* quóniam non est qui adjuvet.

Circundedérunt me vituli multi; \* táuri pingües obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, \* sicut leo rápiens, et rúgiens.

Sicut aqua effusus sum: \* et dispersa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tánquam cera liquescens \* in médio ventris mei.

Aruit tánquam testa virtus mea, et língua mea adhæsit fáucibus meis: \* et in púlverem mortis dedúxisti me.

Quóniam circundedérunt me canes multi: \* concéssium malignántium obsédit me.

Foderunt manus meas, et pedes meos: \* dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt, et inspexérunt me: \* divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam miserunt sórtem.

Tu autem Dómine, ne elongáveris auxiliium tuum à me: \* ad defénsionem meam cónspice.

Erue à framea Deus ánimam meam: \* et de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis: \* et à cornibus unicórniū humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: \* in medio Ecclesiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: \* univérsū semen Jacób glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israhél: \* quóniam non sprévit, neque despéxit deprecationem páuperis.

Nec avértit fáciem suam á me: \* et cum clamárem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesiá magna: \* vota mea réddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur: et laudábunt Dóminum qui requírunnt eum: \* vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur, et converténtur ad Dóminum \* univérsi fines terræ.

Et adorábunt in conspéctu ejus \* univérsæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini est regnum: \* et ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt, et adoravérunt omnes pingües terræ: \* in conspéctu ejus cadent omnes qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: \* et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra, \* et annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo, qui nascé-tur, quem fecit Dóminus.

Glória Pátri, et Filio, &c.

*Ant.* Fáctum est cor meum tánquam cera liquescens in medio véntris mei.

*Ant.* Sperávit cor meum in Dómino, et adjútus sum: et reflóruit caro mea.

## PSALMUS 27.

**A**d te Dómine clamábo, Deus meus ne síleas à me: \* ne quándo táceas à me, et assimilábor descendentibus in lácum.

Exáudi Dómine vocem deprecationis meæ, dùm oro ad te: \* dùm

extóllo manus meas, ad téplum sanctum tuum.

Ne simúl tráhas me cum peccatóribus: \* et cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo suo, \* mala autem in córdibus eorum.

Da illis secundùm ópera eórum, \* et secundùm nequitiam adinventiónum ipsórum.

Secundùm ópera manum eórum trífue illis: \* redde retributióem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, \* et in ópera manuum ejus destrues illos, et non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus: \* quóniam exaudivit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus: et prótector meus; \* in ipso sperábit cor meum et adjútus sum.

Et reflóruit caro mea: \* et ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ, \* et prótector salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, et benedic hæreditáti tuæ: \* et rege eos, et extólle illos usque in æternum.

Glória Patri, &c.

*Ant.* Sperávit cor meum in Dómino, et adjútus sum: et reflóruit caro mea.

*Ant.* Convertisti pláncium meum in gáudium mihi, et circundedisti me lætítia.

#### PSALMUS 29.

**E**xaltábo te Dómine, quóniam suscepisti me: \* nec delectásti inimicos meos super me.

Dómine Deus meus clamávi ad te, \* et sanásti me.

Dómine eduxisti ab inferno ánimam meam: \* salvásti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino sancti ejus, \* et confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus: \* et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fléctus: \* et ad matutínium lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: \* non movébor in æternum.

Dómine in voluntáte tua, \* præstitísti decori meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam á me: \* et factus sum conturbátus.

Ad te Dómine clamábo: \* et ad Deum meum depræcábor.

Quæ utilitas in ságuine meo, \* dum descéndo in corruptiόnem?

Nunquid confitébitur tibi pulvis, \* aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus et misértus est mei: \* Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti pláncium meum in gáudium mihi: \* conscidísti sáccum meum, et circundedísti me lætítia.

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar: \* Dómine Deus meus in æternum confitébor tibi.

Glória Patri &c.

*Ant.* Convertisti pláncium meum in gáudium mihi, et circundedísti me lætítia.

ŷ. Ego autem in Dómino gaudebo.

℞. Et exultábo in Deo Jesu meo. Pater noster.

ŷ. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℞. Sed libera nos à malo.

## ABSOLUTIO.

Exáudi Dómine Jesu-Christo preces servórum tuórum, et miserére nobis, qui cum Patre, et Spíritu Sancto vivís, et regnas in sæcula sæculórum.

R. Amen.

Ÿ. Jube dómne benedicere.

*Benedictio.*

Benedictióne perpétua benedícat nos Pater æternus.

R. Amen.

De Epístola beati Pauli Apóstoli ad Ephésios.

## LECTIO I. CAP. 1.

**B**enedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu-Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirítuali in cœlestibus, in Christo. Sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutióne, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in charitáte. Qui prædestinávit nbs in adoptiÓne filiórum, per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntátis suæ, in laudem glóriæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto filio suo, in quo habémus redemptiÓnem per ságuinem ejus, remissiÓnem peccatórum secundum divítias grátiae ejus. Propterea non cesso grátias agens pro vobis memóriam vestri faciens in oratiÓnibus meis: ut Deus Dómini nostri Jesu-Christi Pater gloriæ, det vobis spíritum sapiéntiæ, et revelatiÓnis in agnitióne ejus illuminátos óculos cordis vestri, ut sciátis quæ sit spes vocatiÓnis ejus, et quæ divítiae glóriæ hæreditátis ejus in sanctis.

R. Gratificávit nos Deus in dilécto filio suo: \* In quo habémus redemptiÓnem per ságuinem ejus, remissiÓnem peccatórum.

Ÿ. Det nobis Dóminus illuminátos óculos cordis nostri in agnitióne ejus. In quo habémus....

*Benedictio* Unigénitus Dei Filius nos benedícere, et adjuvare dignétur. Amen.

## LECTIO II. CAP. 2.

**D**eus autem, qui dives est in misericórdia, propter nímiã charitátem suã, qua diléxit nos, et cum essémus mórtui peccátis, convivicávit nos in Christo (cujus grátia estis salváti) et conresuscitávit, et consedére fecit in cœlestibus in Christo Jesu, ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundátes divítias grátiae suæ, in bonitáte super nos in Christo Jesu. Ipse enim est pax nostra qui fecit utraque unum, et médium paríetem maceríæ, solvens inimicitias in cárne sua: legem mandatórum decretis evácuans, ut duos condat in semetipso in unum nóvum hóminem, faciens pacem, ut reconcíliet ambos in uno corpore, Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso. Et véniens evangelizávit pacem vobis, qui longè fuistis, et pacem iis, qui propè: Quóniam per ipsum habémus accéssum ambo in uno spíritu ad Patrem.

R. Propter nímiã charitátem suã, qua diléxit nos Deus, osténdit abundátes divítias grátiae suæ: \* In bonitáte super nos in Christo Jesu.

Ÿ. Ipse enim est pax nostra, per quem habemus accessum ad Patrem. In bonitate super...

*Benedictio.* Spiritus sancti gratia illuminet sensus, et corda nostra. Amen.

LECTIO III. CAP. 3.

**H**ujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu-Christi, ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae virtute corroborari per spiritum ejus in interiorum hominum, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum: Scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis: ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu in omnes generationes saeculorum. Amen.

R. Det nobis Dominus virtute corroborari per spiritum ejus in interiorum hominum: \* Christum habitare per fidem in cordibus nostris.

Ÿ. Ut in charitate radicati et fundati comprehendamus supereminentem scientiae charitatem Christi: \* Christum habitare....

Gloria Patri et Filio... Christum..

In 2. Noct. Ant. Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.

**B**enedicam Dominum in omni tempore: \* semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea: \* audiant mansueti et laetentur.

Magnificate Dominum mecum: \* et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquirit Dominum, et exaudivit me, \* et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum et illuminamini. \* et facies vestrae non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: \* et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immittet Angelus Domini in circuito timentium eum: \* et eripiet eos.

Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus: \* beatus vir, qui sperat in eo.

Time Dominum omnes sancti ejus: \* quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt, et esurierunt: \* inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

Venite filii, audite me: \* timorem Domini docebo vos.

Quis est homo, qui vult vitam: \* diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam a malo, \* et labia tua ne loquantur dolum.

Diverte a malo, et fac bonum: \* inquire pacem, et persequere eam.

Oculi Domini super justos: \* et aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala: \* ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, et Dominus

exaudivit eos: \* et ex ómnibus tribulatióibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde: \* et húmiles spíritu salvávit.

Multæ tribulatiónes justórum: \* et de ómnibus his liberávit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: \* unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: \* et qui odérunt justum delínquent.

Redímet Dóminus ánimas servórum suórum: \* et non delínquent omnes, qui sperant in eo.

Glória Patri, &c.

*Ant.* Gustáte, et vidéte, quóniam suavis est Dóminus: beatus vir, qui sperat in eo.

*Ant.* Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam intende, próspere procede, et regna.

#### PSALMUS 44.

**E**ructávit cor meum verbum bonum: \* dico ego ópera mea regi.

Lingua mea calamus scribæ, \* velócitèr scribéntis.

Speciósus forma præ filiis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis: \* proptereà benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, \* potentíssime.

Specie tua et pulchritúdine tua \*intende, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam: \* et dedúcet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, pópuli sub te cadent, \* in corda inimicórum regis.

Sedes tuá Deus in sæculum sæ-

culi: \* virga directiόνis virga regni tui.

Dilexísti justítiam, et odisti iniquitátem: \* proptereà unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et casia á vestiméntis tuis, á dómibus ebúrneis: \* ex quibus delectavérunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit regína á dextris tuis in vestitu deauráto, \* circumdáta varietáte.

Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam: \* et obliviscere pópulum tuum et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum: \* quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et filiæ Tyri in munéribus, \* vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus filiæ Regis ab intús: \* in fimbriis aúreis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam: \* próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia, et exultatióne: \* adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii: \* constitúes eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nominis tui \* in omni generatióne, et generatióne m.

Proptereà pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, \* et in sæculum sæculi.

Glória Patri &c.

*Ant.* Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiam intende, próspere procede, et regna.

*Ant.* Judicávit pópulum in justítia, et páuperes in judicio.

**D** EUS PSALMUS 71.  
 Deum iudicium tuum regi da: \* et  
 iustitiam tuam filio regis.

Judicare populum tuum in iustitia: \* et pauperes tuos in iudicio.

Suscipiant montes pacem populo, \* et colles iustitiam.

Judicavit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum: \* et humiliavit calumniatorem.

Et permanebit cum sole et ante lunam, \* in generatione et generationem.

Descendet sicut pluvia in vellus: \* et sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus ejus iustitia et abundantia pacis: \* donec auferatur luna.

Et dominabitur a mari usque ad mare: \* et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident Aethiopes: \* et inimici ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et insulae munerum offerent: \* reges Arabum et Saba dona adducent.

Et adorabunt eum omnes reges terrae: \* omnes Gentes servient ei.

Quia liberabit pauperem a potente: \* et pauperem, cui non erat adiutor.

Parcet pauperi, et inopi: \* et animas pauperum salvas faciet.

Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum: \* et honorabile nomen eorum coram illo.

Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiae, et adorabunt de ipso semper: \* tota die benedicent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis montium; superextollatur super Libanum fructus ejus: \* et florebut de civitate sicut fenum terrae.

Sit nomen ejus benedictum in saecula: \* ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terrae: \* omnes gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus Israel: \* qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen majestatis ejus in aeternum: \* et replentur maiestate ejus omnis terra: fiat, fiat.

Glória Patri, &c.

*Ant.* Judicabit populum in iustitia, et pauperes in iudicio.

*Ÿ.* Mihi autem adhære Deo bonum est.

*℞.* Ponere in Domino Deo spem meam.

Pater noster.

#### *Absolutio.*

Ipsius pietas, et misericordia nos adjuvet, qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

*Ÿ.* Jube domne benedicere.

*Benedictio.* Deus Pater omnipotens sit nobis propitius et clemens. Amen.

De Sermone Sancti Bernardi Abbatís. *Serm. 3. de Pas.*

#### LECTIO VI.

**Q**uia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, et bonum est nos hic esse; ne sinamus nos facile avelli ab eo, de quo scriptum est: recedentes a te in terra scribentur. Quid autem accedentes? Tu ipse doces nos: Tu dixisti accedentibus ad te: gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelo. Accedamus

ergo ad te, et exultabimus, et lætābimur in te, mēmore cordis tui. O quam bonum et quam jucūndum habitāre in corde hoc! Quin pōtius dābo ōmnia, omnes cogitātiōnes et affectus mēntis commutābo, jactans omne cogitātum meum in Cor Dōmini Jesu, et sine fallācia illud me enūtriet.

*R.* Introdūxit me Rex in celāria sua: ordināvit in me charitatem. \* Fūlcite me floribus, stipate me malis, quia amorē lāngueo.

*ŷ.* Sub umbra illius, quem desiderāveram sedi: et fructus ejus dulcis gūtturi meo. Fūlcite me....

*Benedictio.* Christus perpētuae det nobis gāudia vitæ. Amén.

#### LECTIO V.

**A**d hoc templum, ad hæc sancta sanctorum, ad hanc Arcam Testamēnti adorābo, et laudābo nomen Dōmini, dicens cum David: Invenit cor meum, ut ōrem Deum meum. Et ego invēni cor Regis, fratris et amici benigni Jesu. Et nunquid non adorābo? Hoc igitur corde tuo et meo, dulcissimē Jesu, invento, orabo te Deum meum: admittē tantum in sacrarium exauditiōnis tuæ preces meas: immō me totum trahē in cor tuum. O ōmnium pulchritudine speciosissime Jesu! amplius lava me ab iniquitate mea, et à peccato meo munda me; ut purificātus per te purissimum pōssim accēdere, et in corde tuo ōmnibus diēbus vitæ meæ merear habitāre, et ut vidēre simūl et facere tuam valeam voluntatem.

*R.* Haurietis aquas in gāudio de fontibus Salvatoris; et dicetis in illa

die: \* Confitēmini Dōmino, et invocāte nomen ejus.

*ŷ.* Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timēbo.

Confitēmini Dōmino...

*Benedictio.* Ignem sui amoris accendat Deus in cōrdibus nostris. Amén.

#### LECTIO VI.

**A**d hoc enim perforātum est latus tuum, ut nobis patēscat intrōitus. Ad hoc vulnerātum est cor tuum, ut in illo et in te ab exterioribus perturbatiōnibus absoluti habitāre pōssimus. Nihilōminus et propterea vulnerātum est, ut per vulnus visibile vulnus amoris invisibile videāmus. Quōmodo hic ardor mēlius ostēdi potest, nisi quod non solū corpus verumētam ipsūm cor lancea vulnerāri permisit? Carnale ergo vulnus vulnus spirituale ostēdit. Quis illud cor tam vulnerātum non diligit? Quis tam amans non redāmet? Quis tam castum non amplectātur? Nos igitur, adhuc in corpore manēntes, quantum pōssumus amemus, redamemus, amplectāmur vulnerātum nostrum, cujus impii agricolæ foderunt mānus et pedes latus et cor: stemusque, ut cor nostrum durum adhuc et impēnitens amoris sui vinculo constringere et jaculo vulnerāre dignetur.

*R.* Auferam cor lapideum de carne vestra, et dābo vobis cor carneum; \* Et spiritum meum ponam in medio vestri.

*ŷ.* Effūdā super vos aquam vivam, et mundabimini ab omnibus inquinamētis vestris. Et spiritum meum.... Glōria Patri.... Et spiritum meum....

## IN III. NOCTURNO.

*Ant.* Misericórdiam et veritatem diligit Deus: grátiam et glóriam dabit Dóminus.

## PSALMUS 83.

**Q**uam dilecta tabernácula tua Dómine virtútum! \* concupiscit, et deficit ánima mea in atria Dómini.

Cor meum et caro mea \* exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum: \* et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum: \* Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui hábitant in domo tua Dómine: \* in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beatus vir, cujus est auxiliium abs te: \* ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, íbunt de virtúte in virtútem: \* vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratióem meam: \* áuribus percipe Deus Jacob.

Protéctor noster aspice Deus: \* et respice in fáciem Christi tui.

Quia mélior est dies una in atriis tuis \* super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: \* magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam et veritatem diligit Deus: \* grátiam, et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ambulat in innocéntia: \* Dómine virtútum, beatus homo, qui sperat in te.

*Ant.* Misericórdiam et veritatem diligit Deus: grátiam et glóriam dabit Dóminus.

*Ant.* Dóminus dabit benignitatem: loquetur pacem in plebem suam.

## PSALMUS 84.

**B**enedixisti Dómine terram tuam: \* avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: \* operuisti ómnia peccata eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: \* avertisti ab ira indignatiónis tuæ.

Converte nos Deus salutáris noster: \* et averte iram tuam a nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis? \* aut extends iram tuam a generatióne in generatióem?

Deus tu convérsus vivificábis nos: \* et plebs tua lætábitur in te.

Ostende nobis Dómine misericórdiam tuam: \* et salutáre tuum da nobis.

Audiam, quid loquátur in me Dóminus Deus: \* quóniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos, \* et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verumtamen propè timentes eum salutare ipsíus: ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et veritas obviáverunt sibi: \* justítia et pax osculátæ sunt.

Veritas de terra orta est: \* et justítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitatem, \* et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulávit: \* et ponet in via gressus suos.

Glória Patri, &c.

*Ant.* Dóminus dabit benignitatem.

tem: loquētur pacem in plebem suam.

*Ant.* Suavis et mitis es, Dómine, et multæ misericordiæ omnibus invocántibus te.

PSALMUS 85.

**I**nclina Dómine aurem tuam, et exáudi me: \* quóniam inops et páuper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum: \* saluum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: \* lætifica ánimam servi tui, quóniam ad te Dómine ánimam meam levávi.

Quóniam tu Dómine suavis et mitis, \* et multæ misericordiæ omnibus invocántibus te.

Auribus pèrcipe Dómine oratió-  
nem meam; \* et intende voci de-  
precatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamá-  
vi ad te: \* quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Dó-  
mine: \* et non est secundùm ópe-  
ra tua.

Omnes gentes, quascúmque fe-  
cisti, vénient, et adorábunt coràm  
te Dómine: \* et glorificábunt no-  
men tuum.

Quóniam magnus es tu, et fa-  
ciens mirabília, \* tu es Deus solus.

Deduc me Dómine in via tua, et  
ingrédiar in veritate tua: \* lætétur  
cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitébor tibi Dómine Deus  
meus in toto corde meo, \* et glo-  
rificábo nomen tuum in æternum.

Quia misericórdia tua magna est  
super me: \* et eruisti ánimam  
meam ex inférno inferióri.

Deus iniqui insurrexérunt super  
me, et sinagóga poténtium quæ-  
sierunt ánimam meam: \* et non  
proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Dómine Deus miserátor  
et miséricors, \* pátiens et multæ  
misericordiæ et verax.

Réspice in me, et miserére mei  
\* da impérium tuum puero tuo, et  
salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum,  
ut videant, qui odérunt me, et con-  
fundántur: \* quóniam tu Dómine  
adjuvísti me, et consolátus est me.

Glória Patri, &c.

*Ant.* Suavis et mitis es, Dó-  
mine, et multæ misericordiæ om-  
nibus invocántibus te.

ŷ. Misericórdia Dómini ab æ-  
terno.

℞. Et usque in æternum su-  
per tímētes eum.

Pater noster, &c.

*Absolutio.*

A vínculis peccatórum nostrórum  
absólvat nos omnipotens et misé-  
ricors Dóminus.

℞. Amén.

ŷ. Jube domne benedicere.

*Benedictio.* Evangélica léctio sit  
nobis salus et protéctio.

℞. Amén.

Léctio Sancti Evangélli secundùm  
Joannem.

LECTIO VII. Cap. 15. v. 9.

**I**n illo témpore, dixit Jesus dis-  
cípulis suis: sicut dilexit me Pater,  
et ego dilexi vos. Manéte in dilec-  
tióne mea. Et reliqua:

Homilia Sancti Bernardi Abbátis.

*Serm. 13. in Cæna Dómini.*

**D**e dilectione Dei quo plus bibo, plus sitio, et ea saturári non possum, nec ego nec aliquis diligens Christum. Ipsa quò plus éditur, plus famem exáuet, et quánto plus ipsa bíbitur, plus sitim ináruit: ipsam, quam inhábitat, méntem sic inébríat, ut nihil jam quærat, vel díligat, nec díligere possit, nec váleat, præter eum, qui sic múnđum díléxit, ut Filium suum Unigénitum daret; ut omnis, qui credit, et díligit illum, non morfátur, sed vivat cum eo. Ad hanc nos dílectiónem auctor ipse inæstímábilis charitátis ínvitat: in ea nos manére precátur, et rogat; ait enim: manéte in dílectiónem meá: ac si apertè dicat: Quia ego ea dílectiónem, qua me Pater díligit, vos díligo, eadem dílectiónem me vos díligere rogo. Et quóquam dílectio vestra me usque ad mortem perdúxit, sed neque mors crudelíssima ipsa à vestra charitáte me sejúnxit, me díligite, et in ea dílectiónem manéte.

℞. Sicut díléxit me Pater, et ego díléxi vos. \* Manéte in dílectiónem meá.

℥. Si præcepta mea servaverítis, manébitis in dílectiónem meá, sicut et ego Patris mei præcepta servávi, et máneo in ejus dílectiónem.

Manéte in dílectiónem meá.

*Benedictio.* Divínium auxiliúm manéat semper nobiscum. ℞. Amén.

#### LECTIO VIII.

**S**ed qualítér in ejus dílectiónem manére debeámus, séquitur, et dí-

cit: Si præcepta mea servaverítis, manébitis in mea dílectiónem. Sicut et ego Patris mei præcepta servávi, et máneo in ejus dílectiónem. Hæc ópera, Frátres mei, sunt causa dílectiónis Christi: unusquisque vestrum videat, si Dóminum Jesum díligere delcat. Quid pro nobis fácere debuit, et non fecit? Quómodo nos plus amáre pótuit, et non amávit? Majórem in nobis dílectiónem non pótuit hábere, quam hábuit: quia ánimam suam pro nobis posuit. Ipsa beata véritas testís est, quoniam majórem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amicis suis. Non ergo nobis vílescat, Frátres mei, ipsa dílectio Christi, qui díléxit nos, et lavit nos à peccátis nostris in ságuine suo: non vobis vílescat, Frátres mei, non vobis amaréscat ipse amor Christi ipsa chárítas Christi.

℞. Christus pro nobis ánimam suam posuit; \* Et lavit nos à peccátis nostris in ságuine suo.

℥. Majórem charitátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amicis suis. Et lavit nos...

Gloría Patri... Et lavit nos...

#### LECTIO IX.

**A**mor Christi totus dulcis, totus delectábilis: suum possessórem non crúciat, sed delectat: non enérvat, sed robórat; cuncta terrena subsánnat; sola cœléstia captat. Christi mandáta requírit, et ea pro víribus observáre conténdit, et de observatiónem præceptórum gressu felici provéhitur ad perceptiónem gaudiórum, ut cum illo jam perfectè gaudeat, pro cujus desidério in hac valle lachrymárum pósitus tam amá-

re feliciter suspirabat. Unde recte sequitur: Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur; ac si diceret: Ideo præcipio vobis, et moneo vos mea observare præcepta, et manere in dilectione mea, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum de me adimpleatur, ut habeam de vobis per mutuam charitatem, quam mihi impenditis, unde possim gaudere: et illud gaudium, quod in retributione præmiorum electi sunt percepturi, percipere et possidere possitis.

Te Deum....

#### AD LAUDES ET PER HORAS.

*Ant.* Discite à me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.

*Psalm.* Dominus regnavit, cum reliq. de Dominica.

*Ant.* Suavis est Dominus, et in æternum misericordia ejus.

*Ant.* Sitivit in te anima mea, quia melior est misericordia tua super vitas.

*Ant.* Sancti, et humiles corde benedicite Domino: laudate, et superexaltate eum in sæcula.

*Ant.* Beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltavit mansuetos in salutem.

#### CAPITULUM. CANT. 3. v. 11.

**E**gredimini, et videte, Filie Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis ejus et in die lætitiæ cordis ejus.

#### HYMNUS.

**S**ummi Parentis Filio  
Patri futuri sæculi,  
Pacis beatæ principi,  
Promamus ore canticum.  
Qui vulneratus pectore  
Amoris ictum pertulit,  
Amoris uret ignibus  
Ipsam qui amantem dligunt.  
Jesu doloris victima,  
Quis te innocentem compulit,  
Dura ut apertum lancea  
Latus pateret vulneri.  
O fons amoris Inelyte!  
O vena aquarum limpida!  
O flamma adurens crimina!  
O Cordis ardens charitas!  
In Corde, Jesu, jugiter  
Reconde nos, ut uberi  
Dono fruamur gratiæ,  
Cœlique tandem præmiis.  
Semper Parenti et Filio  
Sit laus honor sit gloria,  
Sancto simul Paráclito  
In sæculorum sæcula.  
Amén.

✠ Misericordia Domini ab æternis  
Et usque in æternum super  
timentes eum.

#### AD BENEDICTUS.

*Ant.* Per viscera misericordiæ suæ visitavit nos Deus, et fecit redemptionem populi sui. Alleluia.

#### ORATIO.

**F**ac nos, Domine Jesu, sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflamari: ut et imaginis bonitatis tuæ conformes et tuæ redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis, et regnas, &c.

## AD PRIMAM.

*Ant.* Discite à me...

*R. breve.* Christe, Fili Dei vivi  
\* Miserere nobis. Christe, &c.

*ŷ.* Per quem salvati, et liberati sumus. Miserere.... Glória.....  
Christe...

*ŷ.* Exurge Christe, adjuva nos.

*R.* Et libera nos propter nomen tuum.

*Ad Absol. Cap. lect. brev.* Improperium expectavit cor meum, &c. *ut infra ad Non.*

## AD TERTIAM.

*Ant.* Suavis est Dominus.

## CAPITULUM.

Egredimini, &c. *ut ad Laud.*

*R. breve.* Misericordia tua, Domine, \* Plena est terra. Misericordia tua...

*ŷ.* Justificationes tuas doce me. Plena est terra. Glória Patri... Misericordia tua Domine....

*ŷ.* Secundum misericordiam tuam vivifica me Domine.

*R.* Et custodiam testimonia oris tui.

## AD SEXTAM.

*Ant.* Sitivit in te.

## CAPITULUM. CANT. 8. 6.

**P**one me ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio.

*R. breve.* Secundum misericordiam tuam \* vivifica me Domine. Secundum....

*ŷ.* Et custodiam testimonia oris tui. Vivifica me Domine. Glória Patri... Secundum misericordiam...

*ŷ.* Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam.

*R.* Et doce me justificationes tuas.

## AD NONAM.

*Ant.* Beneplacitum est.

## CAPITULUM PSALM. 68.

**I**mproperium expectavit Cor meum, et miseriam: et sustinui, qui simul contristarétur, et non fuit, et qui consolarétur, et non invéni.

*R. breve.* Fac cum servo tuo \* secundum misericordiam tuam. Fac cum servo tuo...

*ŷ.* Et justificationes tuas doce me. Secundum misericordiam tuam. Glória Patri... Fac cum servo tuo...

*ŷ.* Véniat super me misericordia tua, Domine.

*R.* Salutare tuum secundum eloquium tuum.

## AD VESPERAS.

*Añæ, Psalmi, Capitulum, et Hymnus: ut supra in primis vesp.*

*ŷ.* Misericordia Domini à progenie in progenies.

*R.* Timéntibus eum.

## AD MAGNIFICAT.

*Ant.* Suscépit nos Dominus in sinum, et Cor suum, recordatus misericordiae suae, Alleluia.

ORATIO: Fac nos: *ut supra.*

## AD MISSAM.

## Introitus. Cant. 3.

**E**gredimini et videte filiae Sion Regem Salomónem in diademate quo coronavit eum mater sua, in

die desponsationis ejus, et in die lætitiæ Cordis ejus.

*Psalm. 44.* Eructavit Cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

ŷ. Glória Patri.

**F** RATIO.  
 Fac nos, Dómine Jesu, sanctíssimi Cordis tui virtutibus indui, et afféctibus inflamári; ut et imáginí bonitátis tuæ conformes, et tuæ redemptionis mereámur esse participes. Qui vivis.

Lectio Epístolæ beati Pauli Apóstoli ad Ephésios. *Cap. 3. v. 8.*

**F**ratres: mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensatio sacraménti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creavit. Hujus rei gratiã flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu-Christi, ex quo omnis paternitas in cælis et in terra nomináitur, ut det vobis secundùm divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiorem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in charitáte radicáti, et fundáti, ut possitis comprehendere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublimitas, et profúndum: scire etiam supereminéntem sciéntiæ charitátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

*Matth. 2. Graduale.* Dícite filiæ Sion: ecce Rex tuus venit tibi mansuctus.

*Isai. 42.* ŷ. Non erit trístis,

nec turbuléntus: non clamávit, nec audiétur vox ejus foris, Alleluia, Alleluia. *Matth. 11.*

ŷ. Discite à me, quia mitis sum, et húmilis corde: et invenietis réquiem animábus vestris, Alleluia.

*In votivis post Septuagésimam Psalm. 68.*

*Graduale:* Improperium expectávit cor meum et misériam: et sustinui, qui simul contristarétur et non fuit; qui consolarétur et non invéni.

*Psalm. 21. Tractus:* Ego autem sum vermis et non homo: opprobrium hóminum et abjectio plebis.

ŷ. Omnes vidéntes me deriserunt me; locuti sunt lábiis, et moverunt caput.

ŷ. Sicut aqua effusus sum et dispersa sunt omnia ossa mea.

ŷ. Factum est cor meum tanquàm cera liquescens in medio ventris mei.

*Post Pascha dicitur:* Alleluia, Alleluia. *Psalm. 29.*

ŷ. Dómine Deus meus clamávi ad te, et sanasti me: eduxisti ab inferno animam meam. Alleluia.

ŷ. Convertisti plánetum meum in gáudium mihi: conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætítia. Alleluia.

✠ Sequéntia sancti Evagélii secundùm Joannem.

*CAP. 15. v. 9.*

**I**n illo témpore dixit Jesus discipulis suis: sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos Manéte in dilectione meã. Si præcepta mea servaverítis, manébitis in dilectione meã, sicut et ego Patris mei præcepta servávi, et maneo in ejus dilectione.

Hæc locutus sum vobis: ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hæc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis; et fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. *Credo.*

1. *Paral. 29. Offertorium.* Domine Deus in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa: et populum tuum vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Deus Israël custodi hanc voluntatem cordis eorum. Alleluia.

#### SECRETA.

**I**llo nos igne quæsumus Domine, Spiritus Sanctus inflàmmet, quem Dominus noster Jesus-Christus, è penetrabilibus Cordis sui misit in terram, et voluit vehementer accendi. Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem, &c.

*Præfatio de Nat. Dñi. ; et sic dicitur etiam in Mis. vot. à Dominica Trinitatis usque ad Septuagesimam. A Septuagesima verò usque ad Pentecostem Præfatio de Cruce.*

#### Ps. 33. COMMUNIO.

Gustate et videte quoniam suavis est Dominus: in æternum misericordia ejus. Alleluia.

#### POSTCOMMUNIO.

Præbeant nobis, Domine Jesu, divinum tua sancta fervorem: quo dulcissimi Cordis tui suavitate percepta, discamus terrena despiciere et amare cælestia. Qui vivis et regnas, &c.

---

## DIE IV JUNII

### IN FESTO

### S. FRANCISCI CARACCILO CONFES.

ET CONGREGAT. CLERIC. REGULAR. MINOR. FUNDATORIS.  
duplex.

*Omnia de communi Confes. non Pont. præter ea quæ sequuntur.*

#### ORATIO.

**D**eus, qui beatum Franciscum novi Ordinis Institutorem orandi studio, et penitentiæ amore deco-

raſti, da famulis tuis in ejus imitatione ita proficere, ut semper orantes, et corpus in servitute mendigentes ad cælestem gloriam pervenire mereamur. Per Dominum...

## IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

## IN II. NOCTURNO.

## LECTIO IV.

**F**ranciscus, dictus antea Ascānius, ex nōbili familia Caracciōlo in oppido Sanctæ Mariæ de Villa in Aprūtio ortus, à primis annis eximio enituit pietatis cultu. Adolescentens grāviter ægrotans stātuit sese prorsus Dei, prōximique mancipare servitio. Neāpolim profectus, sacerdotio initiatus, sacroque adscriptus sodalitis, contemplationi lucrandisque animabus se totum devovit, ac extremo supplicio damnatis hortatorem se præbuit assiduum. Cōtingit autem, ut epistolum alteri destinatum ei per errorem redderetur, quo à piissimis viris Joanne Augustino Adorno, et Fabricio Caracciōlo ad novi Religiosi Institutū fundationem vocabatur. Rei novitate captus, et divinæ voluntatis demiratus consilia, alacri animo sese illis adjunxit. Cōditis autem in Camaldulēnsium eremo, quo secēserant, novi ordinis legibus, inde Romam simul profecti confirmationem à Sixto V impetrarunt, qui eōdem Clēricos Regulāres Minōres appellari voluit, addito ad tria consueta altero de non ambiēdis dignitatibus voto. Tu autem....

℞ Honestum....

## LECTIO V.

**S**olēni emissa professione, ob singularem ejus in Divum Franciscum Assisinatē cultum Francisci

nomen assumpsit. Adorno biennio post vita functo, ipse toti Religioni, quāquam invitatus præficatur, quo in mūnere virtutum omnium præclara præbuit exempla. Institutū amplificandi studiosissimus id assiduis orationibus lachrymis et jugi corporis maceratione enixè à Deo postulabat. Quāmobrem tertio in Hispaniam se contulit peregrini habitu indutus victumque ostiatim mendicans. In itinere asperissima quæque perpassus, Omnipotentis auxilium mirum in modum expertus, navim, quam conscēderat, ab imminente naufragio orationis præsidio servavit incolumem. Ut in regnis illis voti compos fieret, plurimum laboravit: sed ejus sanctitatis fama prælucente, amplissimæque catholicorum regum Philippi Secundi, et Philippi Tertii munificentia adversariorum conatibus singulari animi fortitudine superatis, plura sui ordinis domicilia fundavit, quod pari eventu per Italiam præstitit. Tu autem....

℞ Amavit cum....

## LECTIO VI.

**H**umilitate adeo excelluit, ut Romam veniens in pauperum hospitio receptus se leproso sociaverit, et ecclesiasticas dignitates à Paulo Quinto sibi oblatas constantissimè recusaverit. Illibatam perpetuò servavit virginitatem, effrontesque mulieres ejus castimoniam insidiantes Christo lucrificavit. Erga divinisimum Eucharistiæ mysterium ardenti æstuans amore noctes penè integras in ejus adoratione insomnes ducebat, quod pium exercitium veluti sui ordinis tesseram in

eo perpétuò servándum consítuit. Deiparæ Víriginis cultum impensè fovit. In próximum exámia exársit charitáte. Prophetiæ dono et córdium scrutatióne ditátus fuit. Quadragésimum quártum ætatis suæ annum agens, dùm in sacra Lauretána Æde in oratióne persisteret, sibi vitæ finem imminère cognóvit. Aprutium statim deslexit, et Agnoni apud alúmnos S. Philippi Neri lethali febre corréptus, sacraméntis ecclésiæ devotíssimè succéptis, pridie nonas Junii anni millésimi sexcentésimi octávi in pervigilio festi Córporis Christi placidíssimè obdormíbit in Dómino. Sa-

crum ejus corpus Neápolim delátum in ecclésia Sanctæ Mariæ Majoris, ubi prima sui órdis jecerat fundamenta, honorificè cónditum fuit. Eum postea miráculis clarum Clemens Décimus Quartus Póntifex Máximus solémni ritu inter beatos, Pius verò Séptimus Póntifex item Máximus novis fulgéntem signis anno millésimo octingentésimo séptimo sanctorum albo adscripsit. Tu autem...

*Or.* Iste homo...

*In tertio Noct. de commun. è 1. loc. Sint Iumbi.*

*Missa: Os justi.*

## DIE IV JULII

IN FESTO

### TRANSLATIONIS S. MARTINI EP. CONF.

duplex.

Lectiones pirimi Nocturni *Script.*, secundi et tertii Nocturn. ut infr. in die Octav., 18 Novembr.; sed in 4. et 5. lect. omit. verb. (*HODIE.*)

## DIE XX AUGUSTI

IN FESTO

### S. BERNARDI ABB. CONF. ET DOCT.

EX DECRETO PII VIII 20 AUGUST. 1830

duplex.

*Omnia de communi ut in Breviar. præter seqüentia.*

*Die 19 in Martyrologio pro die seq. legitur sic 1.º loco: In territorio Lingoniensi depositio Sancti Bernardi primi Clarævalénsis Ab-*

*bátis, vitâ doctrinâ et miráculis gloriósi: Quem Pius Octavus Póntifex Máximus universális ecclésiæ Doctórem declarávit et confirmávit.*

Ad vesp. añã. *O Doctor*, orat. *Deus qui populo tuo*, ut in 14 Jul. ex comm. DD. et sic ad laud. et in Missã in quã dic. Cr., etiãmsi transferatur.

*Die 20 in fine 6.<sup>a</sup> lect. addatur ut sequitur: Pius verò VIII Pont. Mãy. ex Sacrórum Ritum Congregatiónis consilio S. Bernardum universalis ecclésiãe Doctórem declaravit, et confirmávit, necnon Misam*

et officium de Doctóribus ab ómnibus recitari jussit, atque indulgéntias plenárias quotánnis in perpétuum órdinis Cisterciénsium ecclésiãs visitántibus die hujus Sancti festo concessit.

Lectiones 3. N. *Vos estis, sal terræ*, com. oct. in laud. et Mis. quã est de communi DD. cum Epístolã è 2 loc. quã incip. *Justus cor suum*.

## DIE XXVIII SEPTEMBRIS

IN FESTO

### B. SIMONIS DE ROXAS CONFESSORIS.

duplex.

*Omnia de Communi Confes. non Pontificis, præter sequentia.*

ORATIO.

**D**eus, cujus charitas in corde beati Simonis diffusa, eximio in Sanctíssimam Filii tui Genitricem cultu, et assiduis misericordiãe operibus effluit, illius intercessióne concede: ut eodem charitátis fervóre succénsi et Beatã Mariã Virginiã tutela protecti, tuam misericordiãam consequámur. Per Dóminum...

IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptúra occurrénte.*

IN II. NOCTURNO.

LECTIO IV.

**V**allisoléti in urbe Castellãe venteris natus est Simon paréntibus

piis æquè ac nobilibus. Ab ejus ortu statim licuit vidére quoddam futurã sanctitátis indicium. Puer namque infans ubi balbutire cœpit, prima ferè auditus est hæc verba proférre, AVE MARIA: quod, ut audientibus mirum accidit, ita argumento fuit, eximium olim Divinã Matris cultórem cliéntemque fore: Præságium affirmávit eventus. Magna illi vel adolescéntulo pietas, mira in capesséndis exequéndisque religiónis officiis aláceritas ac diligéntia; stúdiùm verò colendã Virginiã tantum, ut jam tum eas Angélicas salutatiónis voces, in quas primùm sôlverat línguam, sibi máximè familiãres redderet, et tertio quoque verbo usurpáret. Elucebat præsertim amor erga páuperes planè admirábilis, ut ipso eórum aspectu commoverétur, nec contiñe-

re se posset, quin cibos illis clam sibi detractos, et ipsa interdum indumenta tribueret. Talis cum esset adolescens, jamque multum in literis profecisset, incensus sanctioris vitae desiderio Christi crucem inter fratres Sanctissimae Trinitatis, Redemptionis captivorum, in eadem civitate amplexus est.

β. Honestum fecit.

#### LECTIO V.

**T**yrocinii, ac studiorum spatiis cum laude confectis, vitam deinceps reliquam fratribus vel docendis vel gubernandis impendit: Magister proinde appellatus: et cum pluribus provinciae Castellanae caenobiis, tum toti demum provinciae rector impositus: suis porro ita praefuit, ut morum inter eos gravitatem sanctitatemque ad legum normam, atque optima quaque studia proveheret, patrum alioqui exercens imperium, nec tam potestate quam exemplo, singulos ad officium impellens. Quae dum agit domi, nihil interea minus proximorum saluti prospiciebat foris, idque tum divini verbi, tum sacrarum confessionum ministerio, artibusque aliis charitatis, quibus noviter insistens, incredibile dictu est quam multos a vitiis ad frugem, vel etiam ad perfectionem christianae vitae perduxerit. Praeter haec, famelicos mendicorum greges quotidie ab insita misericordia cogebat, pascebatque, largè omnia ministrante providentia caelesti, cujus sepe beneficio insperatam accipiebat annonam. Eorum praecipuam sumebat curam, qui inter barbaros Mahometanos catenis anusti degunt;

hisque redimendis ampla pecuniarum subsidia corrogabat. At sibi metipsi vocabat in primis, studabatque ut fieret in dies sanctior. Ob id spiritum oratione assidua, rerumque caelestium meditatione excolebat, corpus cilicio, flagris, cibi potusque parcitate, dirum in modum excrutiebat.

β. Amavit eum.

#### LECTIO VI.

**P**hilippo Tertio Regi, ejusque conjugii Margaritae apprime charus ob sanctimoniae opinionem fuit. Datus regis liberis adolescentiae institutor, id munus gessit egregie, sed oblatas à Rege dignitates constantissimè repulit. Isabellae Reginae à confessionibus, eoque nomine magno apud aulicos honore habitus: nosocomia tamen carceresque victorum frequentare, aegrotis vocantibus diu noctuque praesto esse, egenis alimenta dividere, calamitosis omnibus opitulari, perrexit usque ad extremum, ut vulgo Pater pauperum vocaretur. Multas vitiarum pestes è populo sustulit, et augendo Beatæ Virginis cultui assidue intentus, cum alia multa perfecit, tum celeberrimam sodalitatem, quam vocant ab AVE MARIA, Matrini instituit, ac late propagandam curavit. Eiusdem cura et industria sanctissimum Mariae Nomen inter Trinitarios officio proprio celebrari coeptum est. Illum vicissim Virgo Beatissima multis maximisque ornavit beneficiis, inter quae illud à Deo impetrasse fertur, ut multas post pugnas, omnis tandem in eo, qui victor semper evaserat, pravæ libidinis sensus ex-

tinctus maneret. Dono tandem prophetiæ, curatiõnum grãtia, miraculisque plûribus clarus, quã prorsus prænuntiãverat die súbita vi morbi opprêssus accúbuit, annos natus duos supra septuaginta. Elátus est fúnere honorificentissimo, eundemque illi honórem per dies continentèr duódecim præcípui civitãtis órdines præstitère. Cum verò crebri ad ejus sepúlchrum concursus fièrent, et novis subíndè

miráculis venerábilis Viri fama inclarésceret, illum Clemens decimustértius beatórum fãstis adscripsit.

ꝛ. Iste homo perfécit ómnia.

### IN III. NOCTURNO.

*Evangel.* Nolite timère, de commun. *Confes. non Pontif. secúndo loco.*

## DIE PRIMA OCTOBRIS

### IN FESTO

## SANCTI ANGELI REGNI CUSTODIS.

### DUPLEX SECUNDÆ CLASIS CUM OCTAVA.

EX CONCESSIONE LEONIS XII PRO HISPANIIS, DIE 26 MART. 1825.

#### AD VESPERAS.

*Ant.* **A**ngelum virtútis suæ emísit Dóminus ex Sion, qui liberávit civitátem nostram de médio inimicórum suórum.

**D**ixit Dóminus Dómino meo:  
\* Sede à dextris meis.

Donec ponam inimícos tuos, \* scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion: \* domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendoribus Sanctórum: \* ex útero ante luciferum genui te.

Jurávit Dóminus, et non pœnitèbit eum: \* Tu es Sacerdos in ætérnum secúndum órdinem Melchisedech.

Dóminus à dextris tuis: \* confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natió nibus, implebit ruínas: \* conquassábit cápita in terra multórum.

De torrènte in via bibet: \* prop-térea exaltábit caput.

*Ant.* Angelum virtútis suæ emísit Dóminus ex Sion, qui liberávit civitátem nostram de médio inimicórum suórum.

*Ant.* Ecce non dormitábit, neque dórmiet qui custódit civitátem istam, quóniam ipse est pró-tectio super manum dexteram nostram.

#### PSALMUS 120.

**L**evávi óculos meos in montes, \* undè véniet auxiliùm mihi.

Auxiliùm meum à Dómino, \* qui fecit cælum et terram.

Non det in commotiōnem pedem tuum; \* neque dormitet qui custodit te.

Ecce non dormitabit neque dormiet, \* qui custodit Israel.

Dóminus custodit te; Dóminus protéctio tua, \* super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te, \* neque luna per noctem.

Dóminus custodit te ab omni malo: \* custodiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custodiat intróitum tuum, et éxitum tuum: \* ex hoc nunc, et usque in sæculum.

*Ant.* Ecce non dormitabit, neque dormiet qui custodit civitatem istam, quóniam ipse est protéctio super manum dexteram nostram.

*Ant.* Nisi Angelus Dómini custodierit civitatem nostram, in vanum laboraverunt qui custodiunt eam.

#### PSALMUS 126.

**N**isi Dóminus ædificáverit domum, \* in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dóminus custodierit civitatem, \* frustrà vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: \* surgite postquam sederitis, qui manducátis panem doloris.

Cum dederit diléctis suis somnum: \* ecce hæreditas Dómini, filii; merces fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu poténtis, \* ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desiderium suum ex ipsis: \* non confundetur, cum loquétur inimicis suis in porta.

*Ant.* Nisi Angelus Dómini custodierit civitatem nostram, in vanum laboraverunt qui custodiunt eam.

*Ant.* In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus, ut per eórum custodiam super iram inimicórum meórum extendas manum tuam, et salvum me faciat dextera tua.

#### PSALMUS 137.

**C**onfitebor tibi, Dómine, in toto corde meo: \* quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: \* adorábo ad templum sanctum tuum, et confitebor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritate tua: \* quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: \* multiplicábis in ánima mea virtutem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ: \* quia audierunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini: \* quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humilia respicit: \* et alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: \* et super iram inimicórum meórum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dóminus retribuet pro me: \* Dómine, misericórdia tua in sæculum: ópera mánum tuárum ne despicias.

*Ant.* In conspéctu Angelórum psallam tibi, Deus meus, ut per eórum custodiam super iram ini-

micrurum meorum extendas manum tuam, et salvum me faciat dextera tua.

*Ant.* Confortavit Dominus seras portarum civitatis suae, et posuit Angelum ad pacem et custodiam in finibus ejus.

PSALMUS 147.

**L**auda, Jerusalem, Dominum, \* lauda Deum tuum, Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: \* benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: \* et adipe frumenti satiavit te.

Qui emittit eloquium suum terrae: \* velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: \* nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas: \* ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: \* flabit spiritus ejus, et fluent aquae.

Qui annuntiat verbum suum Jacob: \* justitias, et judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi: \* et judicia sua non manifestavit eis.

*Ant.* Confortavit Dominus seras portarum civitatis suae, et posuit Angelum ad pacem, et custodiam in finibus ejus.

CAPITULUM.

4. Reg. 19. v. 32.

**H**aec dicit Dominus de rege Assyriorum: Non ingredietur Urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitione,

HYMNUS.

**C**ustodes hominum psallimus Angelos,

Naturae fragili quos Pater addidit Coelestis comites, insidiantibus

Ne succumberet hostibus.

Nam quod corruerit proditor Angelus,

Concessis merito pulsus honoribus;

Ardens invidia pellere nititur,

Quos caelo Deus advocat.

Huc custos igitur pervigil advola,

Avertens patriam de tibi creditam

Tam morbos animi, quam requiescere

Quidquid non sinit incolas.

Sanctae sit Trifidi laus pia jugiter,

Cujus perpetuo numine machina

Triplex haec regitur, cujus in omnia.

Regnat gloria saecula.

Amen.

γ. Angelis suis Deus mandavit de te.

β. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

AD MAGNIFICAT.

*Ant.* Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes: tota die et nocte non tacebunt laudare nomen Domini.

ORATIO.

**O**mnipotens sempiternae Deus, qui ineffabili providentia unicuique Regno singularem Angelum ad custodiam deputasti: concede, quaesumus; ut Angeli Regni nostri Custodis precibus et patrocinis ab omnibus semper eruamur adversis. Per Dominum....

## AD MATUTINUM.

## INVITATORIUM.

Regem Angelórum Dóminum:  
\* Veníte, adorémus.

*Hymnus. Custódes hóminum.....  
ut suprà in Vesperis.*

## IN I. NOCTURNO.

*Ant.* Dirige, Dómine, per Angelum tuum viam nostram, et scuto fortitúdinis tuæ prótege servos tuos.

## PSALMUS 5.

**V**erba mea áuribus pécipe, Dómine, \* intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ,  
\* Rex meus, et Deus meus.

Quóniam ad te orábo: \* Dómine, manè exaúdiés vocem meam.

Manè astábo tibi, et vidébo;  
\* quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malignus; \* neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem: \* perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinem et dolósum abominábitur Dóminus: \* ego autem in multítudine misericórdiæ tuæ.

Introibo in domum tuam, \* adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tuá: \* propter inimicos meos dirige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum veritas: \* cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, línguís suis dolóse agébant: \* júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatió nibus suis, secúndum multítudinem impietátum eórum expélle eos; \* quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te: \* in ætérnum exultábunt, et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum; \* quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, \* coronásti nos.

*Ant.* Dirige, Dómine, per Angelum tuum viam nostram, et scuto fortitúdinis tuæ prótege servos tuos.

*Ant.* Minústi, Dómine, hóminem paulò minus ab Angelis, sed eórum custódia visitásti eum, et in periculis multis memor ejus fuisti.

## PSALMUS 8.

**D**ómine, Dóminus noster, \* quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua \* super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecisti laudem propter inimicos tuos, \* ut déstruas inimicum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos ópera digitórum tuórum: \* lunam et stellas, quæ tu fundásti.

¿ Quid est homo quòd memor es ejus? \* ¿ aut filius hóminis, quóniam visitas eum?

Minústi eum paulò minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum: \* et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecti sub pédibus ejus, \* oves et boves univérsas, in super et pécora campi.

Vólucres cœli, et pisces maris,  
\* qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, \* quàm  
admirábile est nomen tuum in u-  
nivérſa terra!

*Ant.* Minuisti, Dómine, hómi-  
nem paulò minus ab Angelis, sed  
eórum custódia visitásti eum, et in  
periculis multis memor ejus fuisti.

*Ant.* Tu Dómine, servábis et  
custódies nos per Angelum tuum  
ab omni prava generatióne, quia  
in circúitu nostro impii ámbulant.

### PSALMUS 11.

**S**alvum me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus: \* quóniam diminútæ sunt veritatés à filiis hóminum.

Vana locúti sunt unusquisque ad  
próximum suum: \* lábia dolósa  
in corde et corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérſa lá-  
bia dolósa, \* et línguam magnilo-  
quam.

Qui dixérunt: Línguam nostram  
magnificábimus, lábia nostra à no-  
bis sunt, \* quis noster Dóminus  
est?

Propter misériam inopum et gé-  
mitum páuperum, \* nunc exúr-  
gam, dicit Dóminus.

Popam in salutari: \* fiduciáliter  
agam in eo.

Elóquia Dómini elóquia casta:  
\* argéntum igne examinátum, pro-  
batum terræ, purgátum séptuplum.

Tu Dómine, servábis nos: et  
custódies nos \* à generatióne hac  
in ætérnum.

In circúitu impii ámbulant: \* se-  
cúndum altitúdinem tuam multi-  
plicásti filios hóminum.

*Ant.* Tu Dómine, servábis et

custódies nos per Angelum tuum  
ab omni prava generatióne, quia in  
circúitu nostro impii ámbulant.

Ÿ. Angelis suis Deus mandávit  
de te.

℞. Ut custódiant te in ómnibus  
viis tuis.

### LECTIO I.

De libro Apocalypsis beáti Joán-  
nis Apóstoli.

Cap. 8. v. 2.

**V**idi septem Angelos stantes in  
conspéctu Dei: et datæ sunt illis  
septem tubæ. Et álius Angelus ve-  
nit, et stetit ante Altáre habens  
thuribulum áureum: et data sunt  
illi incénsa multa, ut daret de ora-  
tiónibus sanctorum ómnium super  
Altáre áureum, quod est ante thro-  
num Dei. Et ascéndit fumus in-  
censórum de oratióibus sancto-  
rum de manu Angeli coram Deo.  
Et accépit Angelus thuribulum, et  
implévit illud de igne Altáris, et  
misit in terram, et facta sunt to-  
nitrúa et voces et fúlgura et ter-  
ræmótus magnus.

℞. Angelis suis Deus mandá-  
vit de te, \* Ut custódiant te in óm-  
nibus viis tuis.

Ÿ. In má nibus portábunt te, ne  
fortè offéndas ad lápidem pedem  
tuum. \* Ut custódiant...

### LECTIO II.

**E**t septem Angeli, qui habébant  
septem tubas, præparavérunt se, ut  
tubá cænerent. Et primus Angelus  
tubá cécinit, et facta est grando, et  
ignis mista in sánguine, et missum  
est in terram, et tértia pars terræ

combūsta est, tertia pars arborum concremata est, et omne fœnum viride combustum est. Et secundus Angelus tubā cecinit: et tamquam mons magnus igne ardens missus est in mare, et facta est tertia pars maris sanguis, et mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, et tertia pars navium interiit.

R. Immittet Angelum suum Dominus in circuitu timentium eum; \* Et de omnibus tribulationibus suis eripiet eos.

Ÿ. Clamaverunt justī, et Dominus exaudivit eos, et misit Angelum suum. \* Et de omnibus...

### LECTIO III.

**E**t tertius Angelus tubā cecinit, et cecidit de cœlo stella magna, ardens tamquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum et in fontes aquarum: et nomen stellæ dicitur Absinthium; et facta est tertia pars aquarum in absinthium: et multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt. Et quartus Angelus tubā cecinit: et percussa est tertia pars solis et tertia pars lunæ et tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, et diē non luceret pars tertia, et noctis similiter. Et vidi et audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœli dicentis voce magnā: Væ, væ, væ habitantibus in terra de cæteris vœcibus trium Angelorum, qui erant tubā canituri.

R. Super muros tuos Jerusalem posui custodes, \* Qui tota die, ac nocte non cessabunt laudare nomen Domini.

Ÿ. Prædicabunt populis fortitudinem meam, et annuntiabunt gentibus gloriā meam. \* Qui tota.... Glória Patri.... Qui tota....

### IN II. NOCTURNO.

Ant. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege nos.

### PSALMUS 16.

**E**xaudi, Domine, justitiam meam: \* intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, \* non in labiis dolosis.

De vultu tuo iudicium meum prodeat: \* oculi tui videant æquitates.

Probasti cor meum, et visitasti nocte: \* igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Ut non loquatur os meum opera hominum: \* propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias tuas.

Persice gresus meos in semitis tuis: \* ut non moveantur vestigia mea.

Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus: \* inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Miserere misericordias tuas, \* qui salvos facis sperantes in te.

A resistētibz dexteræ tuæ custodi me: \* ut pupillam oculi.

Sub umbra alarum tuarum protege me: \* à facie impiorum qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt: \* os eorum locutum est superbiam.

Projicientes me nunc circumde-

dérunt me: \* óculos suos statuérunt declinàre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam: \* et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge, Dómine, præveni eum, et supplánta eum: \* éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manus tuæ.

Dómine, à páucis de terra dívide eos in vita eórum: \* de absconditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturári sunt filii: \* et dimisérunt reliquias suas párvulis suis.

Ego autem in justítia apparebo conspéctui tuo: \* satiabor cum apparúerit glória tua.

*Ant.* Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi, sub umbra alárum tuárum prótege nos.

*Ant.* Mitte nobis, Dómine, auxiliúm angélicum de sancto, et de Sion túere civitátem nostram.

#### PSALMUS 19.

**E**xáudiat te Dóminus in die tribulatiónis: \* próteget te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxiliúm de sancto, \* et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrificii tui; \* et holocástum tuum pingúe fiat.

Tribuat tibi secúndum cor tuum: \* et omne consílium tuum confirmet.

Lætábimur in salutári tuo: \* et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: \* nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cælo sancto

suo: \* in potentátibus salus dexterae ejus.

Hi in curríbus, et hi in equis: \* nos autem in nomine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt: \* nos autem surréximus, et erecti sumus.

Dómine, salvum fac regem: \* et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

*Ant.* Mitte nobis, Dómine, auxiliúm angélicum de sancto, et de Sion túere Civitátem nostram.

*Ant.* Qui tribulant nos inimíci nostri, infirmáti sunt, et cecidérunt, quia Dóminus protéxit nos per Angelum suum in abscondito tabernáculi sui.

#### PSALMUS 26.

**D**óminus illuminatio mea, et salus mea, \* ¿quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ, \* ¿à quo trepidábo?

Dum apprópíant super me nocéntes, \* ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimíci mei, \* ipsi infirmitáti sunt, et cecidérunt.

Si consístant advérsus me castra, \* non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium, \* in hoc ego sperábo.

Unam petíii à Dómino, hanc requíram, \* ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Ut vídeam voluptátem Dómini, \* et visitem templum ejus.

Quóniam abscondit me in tabernáculo suo: \* in die malórum protéxit me in abscondito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me: \* et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: \* cantabo, et psalmum dicam Domino

Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te: \* miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivi te facies mea: \* faciem tuam, Domine, requiram.

Ne avertas faciem tuam a me: \* ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto: \* ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, et mater mea derelinquerunt me: \* Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Domine, in via tua: \* et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: \* quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini \* in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age: \* et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

*Ant.* Qui tribulant nos inimici nostri, infirmati sunt, et ceciderunt, quia Dominus protexit nos per Angelum suum in abscondito tabernaculi sui.

ψ. Dirige nos, Domine, per Angelum tuum.

℞. Quoniam tu es Salvator noster.

#### LECTIO IV.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

**I**n supernis spiritibus non solum admirabilis dignitas, sed dignatio

amabilis invenitur. Dignum est proinde, fratres, ut gloriam non capientes, tanto magis amplectamur misericordiam, qua nimis constat nihilominus abundare domesticos Dei celi cives Principes Paradisi. Testatur denique Apostolus ipse qui raptus usque ad tertium caelum beatae illi curiae meruit interesse, atque ejus nosse secreta, quoniam omnes administratorii sunt spiritus, missi in ministerium propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. Neque id cuiquam incredibile videatur, quandoquidem ipse quoque Creator, et Rex Angelorum venit non ministrari, sed ministrare, et animam suam dare pro multis. Ut quid ergo ministerium illud Angelorum quispiam dedignetur, in quo praecedit eos, cui in excelsis tota cum aviditate, et felicitate ministrant? Si et hinc dubitas; utique qui vidit, testimonium perhibuit, millia, in quibus, millibus ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. Alius quoque propheta ad Patrem de Filio loquens, ait: Minuisti eum paulo minus ab Angelis. Sic plane, sic decet ut vincat et humilitate, qui sublimitate vincebat, sitque tanto minor Angelis, quanto inferiori sese ministerio mancipavit. Qui tanto excellentior est, quanto differentius praeeis nomen hereditavit.

℞. Misit Dominus Angelum suum, et conclusit ora leonum, \* Et non nocuerunt mihi.

ψ. Misit Dominus misericordiam suam, et fortitudinem suam: animam meam liberavit de medio catulorum leonum. \* Et non nocuerunt...

## LECTIO V.

**S**ed quæras fortâsse in quo minorâtus videâtur ab Angelis, cum ministrâre venit, quandôquidem, ut suprâ meminimus, in ministrêrium mittuntur et illi? In eo utique, quod non modo ministrâvit, sed et ministrâtus est, eratque unus et idem, qui ministrâbat, et qui ministrâbatur. Mérito proindè Sponsa in Canticis Canticorum: ecce, inquit, iste venit saliens in môtibus transiliens colles. Ministrans enim salit inter Angelos, sed et ipsos transiliit ministrâtus. Ministrant enim Angeli, sed de aliéno, offeréntes Deo bona ópera, non sua, sed nostra, ac nobis ejus grâtiâ referéntes. Undè et Scriptûra dicens: Quóniam ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini de manu Angeli: sollicitè præmisit data ei fuisse incénsa multa. Nostros enim sudores non suos, nostras non suas lácrymas offerunt Deo; nobis quoque ejus múnera referunt, non sua. Non sic miníster ille sublímius cunctis, sed et humlíior univêrsis, qui semetípsum obtulit sacrificium láudis, qui Patri offerens ánimam suam nobis ministrat usque hodie carnem suam. Hujus utique tanti minístri grâtiâ nihil mirum, si dignânter nobis immò et libénter Angeli sancti ministrent. Ipsi enim amant nos, quia nos Christus amâvit. Dicitur certè vulgâri quodam provêrbio: qui me amat, amat et canem meum. Nos verò id beâti Angeli! catèlli sumus Dómini illius, quem toto afféctu dilígitis: catèlli, inquam, cupiéntes saturâri de micis, quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, qui

estis vos. Et hæc dixerim, fratres, ut ampliorem de cætero erga beâtos Angelos fidúciâ habeâtis, ac profúndè familiârius in omni necessitâte vestra eorum invocétis auxiliâ. Sed et ut digniùs in eorum præsentia conversâri, et magis ac magis eorum vobis conciliâre grâtiâ, captâre benevoléntiâ, et exorâre cleméntiâ studeâtis.

*R.* Muro tuo inexpugnâbili circumcinge nos Dómine: \* Et armis tuæ poténtiæ protege nos.

*Y.* Emitte, Dómine, Angelum tuum, qui custodiat nos in omnibus viis nostris. \* Et armis...

## LECTIO VI.

**Q**uæ cum itâ sint, pensâte quânta etiâ nobis sollicitúdine opus est, dilectissimi, ut dignos nos exhibeâmus eorum frequéntiâ, et eò modo conversémur in conspéctu Angelorum, ne fortè sanctos offendâmus obtútus. Væ enim vobis, si quândo provocâti peccâtis, et negligéntiis nostris, indignos nos judicâverint præsentia, et visitatióne sua, ut jam necesse habeâmus et nos plângere, et dicere cum prophéta: Amici mei, et proximi mei advêrsùm me appropinquâverunt et steterunt, et qui juxtâ me erant, de longè steterunt, et vim faciébant, qui quærébant ánimam meam: elongâti sumus a fratribus nostris, quorum præsentia protègere nos, et propulsâre poterat inimicum. Quod si tam necessariâ habémus familiaritâtem dignatiónis Angélicæ, cavénda nobis eorum offénsa, et in his maximè exercéndum, quibus eos novimus oblectâri. Sunt enim plúrima, quæ eis placent, et quæ in nobis in-

venire deléctat, ut et sobrietas castitas paupértatis voluntária, crebri in cœlum gémitus et orationes cum lacrymis et cordis intentione. At tamen super ómnia unitátem, et pacem à nobis éxigunt Angeli pacis.

*R.* Expúgna, Dómine, impugnántes nos: \* Et líbera nos de inimícis nostris.

*Y.* Fiant viæ illorum ténebræ, et lúbricum, et Angelus Dómini perséquens eos. \* Et líbera.... Gloria Patri.... Et líbera....

### IN III NOCTURNO.

*Ant.* Immisit Angelus Domini in circúitu tíméntium eum, et de multis tribulationibus erípuit eos.

#### PSALMUS 33.

**B**enedicam Dominum in omni témpore, \* semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudábitur ánima mea: \* áudiant mansuéti, et lætentur.

Magnificáte Dominum mecum: \* et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dominum, et exaudivit me: \* et ex omnibus tribulationibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini: \* et fácies vestræ non confundéntur.

Iste páuper clamávit, et Dominus exaudivit eum: \* et de omnibus tribulationibus ejus salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu tíméntium eum: \* et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus; \* beátus vir, qui sperat in eo.

Tíméte Dóminum omnes sancti ejus: \* quóniam non est inópia tíméntibus eum.

Dívites egüérunt et esuriérunt: \* inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte, filii, audíte me: \* tímórem Dómini docébo vos.

¿Quis est homo qui vult vitam: \* diligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo: \* et lábia tua ne loquántur dolurum.

Divérte à malo, et fac bonum: \* inqúire pacem, et persequére eam.

Oculi Dómini super justos: \* et aures ejus in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: \* ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt justí, et Dóminus exaudivit eos: \* et ex ómnibus tribulatióibus eórum liberávit eos.

Juxtà est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde: \* et humiles spírítu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum: \* et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus omnia ossa eórum: \* unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: \* et qui odérunt justum delinquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: \* et non delinquent omnes qui sperant in eo.

*Ant.* Immisit Angelus Dómini in circúitu tíméntium eum, et de multis tribulatióibus erípuit eos.

*Ant.* Adoráte Dóminum omnes Angeli ejus, quóniam Dómi-

nus custodívit ánimas servórum suórum, et de manu peccatóris liberávit eos.

## PSALMUS 96.

**D**óminus regnávít, exúltet terra: \* læténtur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circúitu ejus: \* justítia et júdicium corrèctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, \* et inflammávit in circúitu inimicos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: \* vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à facie Dómini: \* à facie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus: \* et vidérunt omnes populi glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adoránt sculptília: \* et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus: \* audívit, et lætáta est Sion.

Et exultavérunt filii Judæ, \* propter júdicia tua, Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: \* nimis exaltáus es super omnes deos.

Qui diligitis Dóminum, odíte malum: \* custodit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberávit eos.

Lux orta est justo, \* et rectis corde lætítia.

Lætámini justí in Dómino: \* et confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

*Ant.* Adoráte Dóminum omnes Angeli ejus, quóniam Dóminus custodívit ánimas servórum suórum, et de manu peccatóris liberávit eos.

*Ant.* Benedícite Dóminum omnes Angeli ejus, et nótas nobis fácite vías ejus.

## PSALMUS 102.

**B**enedic ánima mea Dómino: \* et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Benedic ánima mea Dómino: \* et noli oblivísci omnes retributiónes ejus.

Qui propitiatur ómnibus iniquitatibus tuis: \* qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vítam tuam: \* qui coronat te in misericórdia et miseratióibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum: \* renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

Faciens misericórdias Dóminus: \* et júdicium ómnibus injúriam paténtibus.

Notas fecit vías suas Móysi, \* filiis Israel voluntátes suas.

Miserátor et miséricors Dóminus: \* longánimis et multum miséricors.

Non in perpétuum irascétur, \* neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis: \* neque secúndum iniquitátes nostras retribuit nobis.

Quóniam secúndum altitúdinem cœli à terra, \* corroborávit misericórdiam suam super tíméntes se.

Quántum distat ortus ab occidénte: \* longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Quómmodo miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus tíméntibus se: \* quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Reoordátus est quóniam pulvis

sumus: \* homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebít.

Quóniam spírítus pertransibit in illo, et non subsistet: \* et non cognosceat ampliùs locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, \* et usque in ætérnum super tímèntes eum.

Et justítia illíus in filios filiórum, \* his qui servant testaméntum ejus.

Et memóres sunt mandatórum ipsíus, \* ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam: \* et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedicite Dómino omnes Angeli ejus: \* poténtes virtúte, facientes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedicite Dómino omnes virtútes ejus: \* mínstri ejus qui faciús voluntátem ejus.

Benedicite Dómino omnia opera ejus: \* in omni loco dominatiónis ejus benedic ánima mea Dómino:

*Ant.* Benedicite Dóminum omnes Angeli ejus, et notas nobis fácte vias ejus.

Ÿ. Mitte, Dómine, Angelum tuum de cœlis.

℞. Qui custódiat, et illumet nos.

*Homília et Lectiões 3. Noctúrni sumántur ex Breviario Romano sub die 29 Septembris in Festo sancti Michaelis Archangeli.*

℞ VII. Dómine Deus omnípotens ædificátor et custos Jerúsalem civitátis supérnæ, mitte Angelum tuum, \* Ut custodiat Regnum et locum istum cum ómnibus habitatóribus suis.

Ÿ. Convértere, Dómine, fáciem tuam super pópulum tuum et visita nos per Angelum tuum. \* Ut custodiat.....

℞ VIII. Regnum et Civitátem istam circúmdata, Dómine: \* Et Angeli tui custódiant muros ejus: exáudi pópulum tuum cum misericórdia.

Ÿ. Avertátur, Dómine, furor tuus ab hoc Regno, et Civitáte tua. \* Et Angeli tui.... Gloria Patri..... Et Angeli tui.....

## AD LAUDES

### ET PER HORAS.

*Ant.* Induit Angelus Prínceps noster fortitúdinem, et præcínxit se virtúte, et firmávit civitátem nostram, quæ non commovébitur ab inimicis nostris.

*Psalm.* Dóminus regnavit.. *cum reliquis de Dominica.*

*Ant.* Jubiláte Deo omnes cives ejus, quóniam Dóminus, qui fecit nos, ipse custodiet, et liberábit nos.

*Ant.* Ad te, Dómine, de luce vígilat Angelus Príncipeps et custos noster, et super civitátem istam: ideo inimíci nostri in vanum quæsiérunt expugnáre eam.

*Ant.* Benedicant Dóminum omnes Angeli ejus, et repéllant á nobis omnes potestátes advérsas.

*Ant.* Laudáte Dóminum omnes Angeli ejus, et alligáte inimícos nostros in compédibus, et omnes impugnántes nos in mánicis férreis.

### CAPITULUM.

**H** 4. *Reg. Cap. 19. v. 32.*  
Hæc dicit Dóminus de Rege Assyriorum: Non ingrediétur Urbem

hanc, nec mittet in eam sagittam,  
nec occupabit eam clypeus, nec cir-  
cūmdabit eam munitio

### H Y M N U S.

Ætérne Rector siderum,  
Qui, quidquid est, poténtia  
Magna creásti, nec regis  
Minóre providéntia:  
Adésto supplicántium  
Tibi-reórum cœtui;  
Lucisque sub crepúsculum  
Lucem novam da méntibus.  
Tuúsque nobis Angelus,  
Ekéctus ad custódiám,  
Hic adsit, à contágio  
Ut críminum nos prótegat.  
Nobis draconis æmuli  
Versútias extérminet;  
Ne rete frauduléntiæ  
Incáuta nectat pécora.  
Metum repéllat hóstium  
Nostris procúl de sínibus:  
Pacem procúret cívium,  
Fugétque pestiléntiam.  
Deo Patri sit glória,  
Qui, quos redémit Filius,  
Et sanctus unxit Spíritus  
Per Angelos custódiat.  
Amén.  
ŷ. Immíttet Angelus Dómini  
in circúitu tíméntium eum.  
R. Et erípiet eos....

### AD BENEDICTUS.

*Ant.* Benedictus Dóminus, qui  
per Angelum salutis visitávit ple-  
bem, et civitatem nostram, et li-  
berávit eam de manu ómnium, qui  
odérunt nos, et diréxit pedes nos-  
tros in viam pacis.

ORATIO. Omnípotens sempi-  
térne Deus..... *ut supra.*

### AD TERTIAM.

*Ant.* Jubiláte Deo.. *Capitulum.*  
Hæc dicit Dóminus.... *ut supra.*

R. *breve.* Angelis suis Deus,  
\* Mandávit de te. Angelis....

ŷ. Ut custódiant te in ómnibus  
viis tuis. \* Mandávit.... Gloria Pa-  
tri.... Angelis....

ŷ. Dirige nos, Dómine, per  
Angelum tuum;

R. Quóniam tu es Salvator nos-  
ter.

### AD SEXTAM.

*Ant.* Ad te, Dómine....

### CAPITULUM.

4. *Reg.* 19. v. 33.

**P**er viam, qua venit, reverte-  
tur, et civitatem hanc non ingre-  
diétur, dicit Dóminus: protegám-  
que Urbem hanc, et salvábo eam  
propter me, et propter David ser-  
vum meum.

R. *breve.* Dirige nos, Dómine...

\* Per Angelum tuum... Dirige nos...

ŷ. Quoniam tu es Salvator nos-  
ter... Per Angelum... Gloria Patri...  
Dirige nos....

ŷ. Mitte, Dómine, Angelum  
tuum de cœlis.

R. Qui custodiat, et illúmet  
nos.

### AD NONAM.

*Ant.* Laudáte Dóminum....

### CAPITULUM.

4. *Reg.* 19. v. 35.

**F**actum est igitur in nocte illa:  
venit Angelus Dómini, et percússit  
in castris Assyriórum centum octo-  
gínta quinque millia.

R. *breve.* Mitte, Dómine, \* An-  
gelum tuum de cœlis. Mitte....

ŷ. Qui custodiat, et illúminet nos. \* Angelum.... Gloria Patri....  
Mitte Dómine....

ŷ. Immittet Angelus Dómini in circúitu tíméntium eum.

ŷ. Et eripiet eos.

*In secundis Vesperis, ómnia ut in primis, siue commemoratióne de seqüenti.*

*Pro diebus infra Octavam, si qui sunt, in quibus feri debeat de Octava, primæ Lectiões legán-*

*tur de Scriptura occurrénte, aliæ sumántur ex Octavário Romano.*

*In die Octava, ómnia ut in festo, præter lectiões primi Noctúrni quæ erunt de Scriptúra occurrente.*

### MISSA.

*Intróitus cum reliquis, ut in festo Angelórum Custódum die 2 Octobris, præter orationem quæ erit Omnipotens sempitérne Deus ut supra.*

---

## DIE XIV OCTOBRIS

IN FESTO

### SANCTI CALLISTI P. M.

duplex.

*Ex decreto Urbis et Orbis SS. Pii P. Septimi 2. Sept. 1808 cum orat. et Lectiõibus secund. Nocturn. prop.*

#### ORATIO.

**D**eus, qui nos cónspicis ex nostra infirmitate deficere, ad amorem tuum nos misericórditer per sanctorum tuorum exempla restaura. Per Dóminum.

#### IN I NOCTURNO.

*Lectiões de Scriptúra occurrénte.*

#### IN II NOCTURNO.

#### LECTIO IV.

**C**allistus Románus præfuit Ecclesiæ Antonino Heliogábalo Imperatóre. Constituit quátuor anni tempora, quibus jejúnium ex apostólica traditióne accéptum ab om-

nibus servarétur. Ædificábit Basilicam Sanctæ Mariæ trans Tiberim, et in via Appia vetus cæmentérium, in quo multi sancti sacerdotes et mártires sepulti sunt, undè ab eo Callisti cæmentérium appellátur.

ŷ. Honéstum...

#### LECTIO V.

**E**jusdem pietátis fuit, quod Beati Calepodii Presbyteri et martyris corpus jactátum in Tiberim conquiri diligentèr curavit, et inventum honorificè sepelivit. Palmatium consulári, simplicium senatoria dignitate illustres, Felicem et Blandam, qui deindè omnes martyrium subiére cum baptismo lustrás-

set, missus est in cárcerem, ubi privátum militem ulcéribus plenum admirabiliter sanitate restitutum Christo adjúnxit, pro quo idem, recens à fide suscepta, plumbátis usque ad mortem cæsus occubuit.

R. Desidérium...

#### LECTIO VI.

**S**edit Callistus annos quinque mensem unum dies duodecim. Ordinatióibus quinque, mense Decembri, creávit Presbyteros sexdecim Diáconos quatuor Episcopos octo. Post longam famem, crébras-

que verberatiónes præceps jactatus in puteum, atque ita martyrio coronátus sub Alexandro Imperátore illátus est in cæmentérium Calepodii via Aurélia tertio ab urbe lapide pridie idus Octobris. Ejus postmodum corpus in Basilicam Sanctæ Mariæ Transtiberim ab ipso ædificatam delátum sub ara majóri máxima veneratióne colitur.

R. Stola...

#### IN III NOCTURNO.

*Homilia Sancti Hilarii Episcopi super Evangelium Nihil est óptertum: ut in Brev. Rom. hac die..*

## DIE XIV NOVEMBRIS.

### QUARTA DIE INFRAOCTAVAM.

## SANCTI MARTINI EPISCOPI CONF.

### semiduplex.

*Omnia ut in die festi præter Lectiones primi Nocturni, quæ sumuntur ex Scriptura occurrente, et Lectiones secundi et tertii Nocturni, quæ erunt ut infra.*

EX DECRETO S. R. C. DIE 13 JAN. 1631 AD PRECES ILLMI. EPISCOPI ET CAPITULI S. ECCL. CATH. AURIENSIS.

#### IN II NOCTURNO.

De sermone S. Bernardi Abbátis.  
*De humilitate et paupertate Sancti Martini.*

#### LECTIO IV.

**U**t tamen páuca virtútum ejus indicia promam, páuperem illum spirítu beatus novit Hilárius, cum impónere ei diaconátus officium tentans, nec prævalens, quod indignum sese vociferarétur, exor-

estam eum esse præcepit: in quo quidem locus injúriæ viderétur, sciens nimirum, quod humiliórem ordinationem minimè repudiáret. Páuper fuit, veste sórdidus, crine incultus, fácie despicabilis: quæ quidem licet in electiône ejus à quibusdam malévolis objecta fuissent, in ipso tamen Episcopátu, sicut scriptum est, pénitus non mutávit. Déniquè quia verè páuper fuit spirítu Martinius, páuper et módicus méruit nominári.

R. Oculis ac mánibus...

## LECTIO V.

**A**udi verò mansuetudinem ejus, suo illo Sulpitio sic scribente. Tantam adversus omnes injurias patientiam assumpserat, ut cum esset Summus Sacerdos, impunè etiam ab infimis clericis læderetur: nec propter id eos aut loco unquam amoverit, aut à sua, quantum in ipso fuit charitate repulerit. Quod quidem in Briccio manifestè probatum omnes vos arbitror meminisse. Sanè in cœlos etiam lachrymæ ejus à maxilla ascendere consueverant, quibus sic abundabat, ut soleret pro illorum quoque, qui obtractatores sui videbantur, flere peccatis.

R. Beatus Martinus...

## LECTIO VI.

**Q**uântum justitiam esurierit, tùm in cæteris ejus actibus, tùm specialitèr in idolatriæ persecutiõne probatum est in templorum destructione in statuarum dejectione in successiõne lucorum. Ubi se quoque aliquândo non est veritus dare discrimini, ut occasio tanti criminis de medio tolleretur. Nam misericordem eum in pauperes se experitum Salvator ipse apud Angelos gloriabatur datam sibi medietatem vestis ostentans. Utinam nobis etiam miseris apud Summum Judicem, in cujus admirabile tabernaculum introvit, misericordiam illam exhibere dignetur; qua et illos olim morti destinatos et tormentis variis deputatos eripuit, pro quibus ante terrèni judicis januam mœdia nocte scribitur jacuisse.

R. Dixérunt Discipuli...

## IN III NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam. Cap. 11. v. 33.

## LECTIO VII.

**I**n illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio; sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 21 in Matth. sub med.

**L**ucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Quod si fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrorum erit. Quod enim oculus est corpori, hoc mens est animæ. Quemadmodum enim nunquam optes auro ornari et sericis indui vestibus, simulque excæcari oculis; sed horum incolumitatem toti hujusmodi apparatusi anteponendam existimes: nam si visum perdas, nihil tibi reliqua vita prodest. Sicut enim excæcatis oculis, reliquorum fere membrorum operatio abscedit, extincta luce; sic corrupta semel mente, innumeris vita malis replèbitur. Quemadmodum ergo in corpore hoc curamus, ut oculus sit sanus, sic de mentis sanitate curandum. Si hanc excæcemus, quæ aliis lucem ministrare debet, unde jam aspicerè poterimus? Sicut enim qui fontem auferit, fluvium exiccat; sic qui mentem obruit, omnes ejus in hac vita operationes obscuravit.

R. O beatum virum.

## LECTIO VIII.

**L**ideo ait, si lumen, quod in te est, tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ? Nam cum gubernator submergitur, et lucerna extinguitur, et dux capitur, quæ spes postea subditis? Quapropter missis insidiis per divitias structis pugnis, litibus; hoc enim superius subindicavit, dicens: tradet te adversarius iudici, et iudex ministro, his omnibus sævióra proferens, sic abducit à mala concupiscèntia. Etenim longè deterior est mentem huic morbo subijci, quam in carcere dègere. Et alterum quidem non semper accidit, alterum verò est semper cum pecuniarum cupiditate conjunctum. Quàmobrem hoc post illud ponit utpote gravior et omfno subsequens. Nam Deus, inquit, mentem nobis indidit, ut ignorantiam dissipemus, et rerum iudicium rectum teneamus, atque contra omnia molestà nòxiaque, hoc quasi telo et lumine utentes, in tuto maneamus. Nos verò donum hoc pròdimus ob

quædam supervacanea, et inutilia.  
R. Martinus Abrahæ sinu.

## LECTIO IX.

**Q**uemadmodum enim oculis avulsis, nihil suave sensu percipimus ob hujusmodi calamitatem, multo magis in mentis eversione et cæcitate hæc patiemur. Qua de causa defodis in terram? Ut tuto servetur? Verum hic etiam contrarium accidet, inquit. Sicut enim eum qui propter vanam gloriam jejunit, dat eleemosynam, et precatur, ab iis ipsis, quæ maxime cupit, à vana gloria retrahit; nam cur, inquit, ita precaris, et das eleemosynam? An non quia hominum gloriam diligis? Noli ergo sic orare, et tunc illam consequeris in futuro nempe dic; sic et pecuniæ cupidum per ea, quibus maxime studebat, per eadem et cepit. Hæc ambo tibi copiosissime præbebo, si illic deponas aurum, ubi jubébo.  
R. Te Deum laudamus....

---

 DIE XVIII NOVEMBRIS

## OCTAVA

## SANCTI MARTINI EPISCOPI CONF.

## duplex.

*Omnia ut in die festi, præter sequentia (ex supradicto decreto).*

## IN I NOCTURNO.

*Lectiões de Scriptura occurrènte.*

## IN II NOCTURNO.

De sermone S. Bernardi Abbatis.  
*De mirac. obed. et resign. Sancti Martini.*

## LECTIO IV.

**M**artinus Lucerna erat ardens, et lucens: eum saltem non pigeat imitari; sed imitari in eo, quod est imitabile, non autem quod mirabile exhibetur. Ad mensam divitis sedes (*Hodie*); diligenter conside-

ra quæ tibi apponitur. Discerne inter cibos et vasa ciborum: illos enim juberis tollere, sed non illa. Dives est iste Martinus, dives in meritis, dives in miraculis, dives in virtutibus, dives in signis. Diligenter ergo considera, quæ apponuntur tibi, quænam videlicet ad admirationem, quæ verò ad imitationem. Suscitavit Martinus tres mortuos, quot nimis Salvatorem legerat suscitasse. Reddidit visum cæcis, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, aridis sospitatem. Evasis divina virtute pericula, proprii corporis obice flammam repulit, imaginem sacrilegæ machinæ molem columna parili è cælo descendente prostravit, leprosum osculo mundavit, curavit oleo paralyticum, dæmones vicit, Angelos vidit, futura prævidit. Noli in his saporem querere, sed mirare splendorem. Luceat in hujusmodi lucerna nostra, ut in lumine ejus videamus lumen, quod quidem purum, prout in se est, necdum prævaleat intueri.

R. Oculis à manibus....

#### LECTIO V.

**D**omine, inquit, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. O verè sanctissimam animam! O inestimabilem charitatem! O obedientiam singularem! Bonum certamen certasti, O beate Martine; cursum consummasti, fidem servasti; de reliquo superest tibi corona justitiæ, quam redet tibi Dominus (*hodie*) justus iudex; et adhuc dicis: Non recuso laborem, fiat voluntas tua! Immo!asti pia devotione singulare

gaudium tuum, paratus redire iterum in pericula, innovare certamina, denuò subire laborem, sustinere tribulationem, prolongare tentationem, deinde disferri adhuc ab illa tanta felicitate, et diù desiderata societate spirituum beatorum, atque in hujus mortalitatis ærumnas ab ipso introitu gloriæ revocari; postremò (quod maximum est) à Christo tuo peregrinari diutius, si modò ipse voluisset. Magna quidem obedientia vestra, Angeli sancti; sed, quid dicere audeam pace vestra, nescio, an inveniatur in vobis quisquam paratus in tale aliquandò ministerium mitti, in quo necessè habeat non videre faciem Patris. Magnum est, Petre, quod Dominum secutus omnia reliquisti: sed audivi te in monte dicentem, ubi transfiguratus est coram vobis: Domine, bonum est nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula. Non est hoc, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.

R. Beatus Martinus....

#### LECTIO VI.

**P**aratum cor tuum, Martine, paratum cor tuum, sive manere in corpore, sive dissolvi, et esse cum Christo. Et magna quidem in horrenda morte securitas; magna in visione Christi desideranda, et tam ferventer, ac singulariter desideranda perfectio reperitur: sed id quidem longè amplius per omnem modum, quòd qui mori non metuis, immò qui tanto desiderio præsentiam Domini concupiscis, vivere quoque non renuis, et expectatione molestissima fatigari. In

quo enim alio non obedire potuerat, qui in hoc tanto articulo tam devotè clamabat: fiat voluntas tua? Hæc ergo pars nostra sit, Fratres, in convivio hodièrno, hæc nobis obedièntiam in mensa pàuperis, immò jam divitis hujus appòsitam diligèntèr considerèmus, scièntes quò-niam ipsa est, quæ à nobis exigitur, ipsa quam opòrteret nos præparare, ut singuli quique dicamus: quia parátus sum, et non sum turbátus, ut custòdiam mandáta tua. Nec modò semel, aut in parte; sed parátum cor meum, Deus, parátum cor meum; parátum ad utrúmque, et in nullo tuæ præscribens dispositiòni. Fortè hoc cupio; sed ne quidem illud recuso: sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.

℞. Dixérunt Discípuli...

### IN III NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangélii secundùm  
Lucam. *Cap. 11. v. 33.*

#### LECTIO VII.

**I**n illo tèm-pore: dixit Jesus discipulis suis: Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub módio; sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen videant. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri. *Tom. 5. lib. 4. cap. 50. in cap. 11. Luc. post initium, pag. 324.*

**C**hristus lucernam accendit, qui testam humánæ natúræ flamma suæ divinitatis implevit. Quam profectò lucernam nec credéntibus

abscondere, nec modio suppònere, hoc est, sub mensura legis includere, vel intra unius Judæe gentis términos voluit còhibere. Sed supra candelábrum, inquit, ut qui ingrediúntur, lumen videant. Candelábrum Ecclesiam dicit, cui lucernam superpòsuit, quia nostris in fròntibus fidem suæ incarnationis affixit, ut qui Ecclesiam fidèlitér ingredi volúerint, lumen veritatis palàm queant intuéri.

℞. O Bèatum Virum...

#### LECTIO VIII.

**D**èniquè præcipit, ne ópera tantúmmodò, sed et cogitatiònes et ipsas étiam cordis intentiònes mundare et castigare meminerint. Nam séquitur: Lucerna còrporis tui est oculus tuus. Corpus quippè dicit ópera, quæ palàm cunctis appàrent, oculos verò ipsam mentis intentiònem, quæ operátur, et de cujus mérito eadem ópera, lucis an tenebrarum sint ópera, discernúntur, sicut ipse consequèntèr expòsuit, dicens. Si oculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lícidum erit. Si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrosum erit. Si, inquit, pura rectaque intentiòne, quæ potes ágere bona studúeris, lucis profectò sunt ópera, quæ facis, étiam si coram hominibus imperfectionis aliquid habere videantur. Quoniam diligèntibus Deum ómnia cooperántur in bonum iis, qui secundùm propòsitum vocáti sunt sancti.

℞. Martínus Abrahæ...

#### LECTIO IX.

**S**i autem perversa est intentio,

quæ præcédit, právum est omne opus, quod séquitur, quámvis rectum esse videátur. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, ténébræ sint. Hoc est, ne ipsa cordis intención, quæ lumen est animæ, vitiórum caligine fuscétur, sédula discrecióné perpénde. Juxta quod álibi præcipitur, omni custódia serva cor tuum, quóniam ex ipso vita procédit. Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non hábens

áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérna fulgóris illuminábit te. Totum corpus nostrum omnia nostra ópera dicit, quia et Apóstolus mémbra nostra núncupat quædam opera, quæ improbat, et mortificánda præcipit, dicens: Mortificáte ergo mémbra vestra, quæ sunt super terram, fornicatiónem immundítiam libídinem, et cætera talia.

Te Deum laudámus...

## DIE XXIII DECEMBRIS

IN FESTO

### BEATI NICOLAI FACTORIS CONF.

duplex min.

*Omnia de communi Confessoris non Pontificis præter sequéntia.*

ORATIO.

**D**eus, qui beatum Nicolaum Confessorem tuum ineffábili charitatis tuæ igne succénsum te puro corde sectári fecisti, da nobis fámulis tuis, ut eodem spiritu repléti et charitáte fervéntes viam mandatórum tuórum inoffénso pede currámus. Per Dóminum...

*Postea fit com. Fer. occur.*

IN I NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura occurrénte; sed si fúerit in Quat. Tempor. Beatus vir, de commun. 2. loc.*

IN II NOCTURNO.

LECTIO IV.

**N**icolaus Valentiae Edetanórum piis parentibus ortus, ab ineunte ætáte, præclara futuræ sanctitátis édedit documenta. Quinque enim annos natus ter singulis hebdomadis jejunábat: pane tantum et aqua contentus obsónia sibi paráta alácritèr paupéribus elargiebatur: atque egenórum et leprosórum manibus tibiisque sanie licet manántibus pia óscula dabat: quibus sane, aliisque christianæ perfectionis exemplis fámula domus Maura commota mahométiám ejurávit su-

perstitutionem. Adolescens ægrótos in nosocómiis crebro invisébat, propriis ipse manibus illis inserviébat, omnique studio nobiles viros, ac matronas civitátis ad id óperis alliciébat. Quæ et alia miranda pietatis et charitatis ópera, in quibus mirificè enituit, ad mortem usque nunquam dimisit. Mundi sui que contéptor pecuniæ summam ei ad connúbium oblatam strenuè recusavit: ac parentum blandimentis ipsum in matrimonium collocáre adniténtium invicta constantia restitit. Exinde de regulari aliquo Instituto amplectendo seriò cogitare cepit. Itaque observantiæ Sancti Francisci nomen dare decérnens ad cænóhium Sanctæ Mariæ à Jesu Valéntiæ clánculum secéssit, ibique non tam précibus quam láchrymis à superiore hábitum obtínuit. Tyrocínio exacto, professionem emisit, sácrisque Ordinibus initiatus, verbi Dei predicationi totum se dedit.

β. Honéstum fecit illum...

#### LECTIO V.

**E**lucébat in eo summa vitæ innocentia comitas verécundia, ob quas egrégias animi dotes difícilè dictu est, quot ad meliorem frugem tradúxerit, quotque è vitórum cœno ad viam salutis revocáverit. Ad hæc priusquàm in conciónem ascéndérét, ter slágris se cadere consuévít. Diris subindè cilliciis flagellis ac jejúniis corpus suum contínuè macerábat, nullique unquam pepércit afflictationi ad pravas affectiones cohibendas. Nudis semper pédibus incéssit: cogñte verò morbo, subjecta obtéctus solea, ac

simplici contentus túnica. Noctes sæpe insómnes traduxit; ac pro eo, quo erga Jesu-Christi passionem æstuábat, amore, binos íntegros annos ad Crucifixi pedes excubásse memoriæ est próditum. Vultus ejus etsi pœnitentia attritus, singulari tamen Dei gratia vegetus semper et venustus apparuit. Obedientia paupertate et pudicitia emfcuit, nitidamque consciéntiam suam, quam nulla mortali labe unquam fœdásse perhibétur, non modò sartam tectam servavit, sed dæmonem étiam specie mulieris formósæ indignis modis ad eam labefactándam túrpitèr ei insidiantem, vimque facientem vicit, ac profligávit. Tyrones, quibus præfuit, verbo, atque exemplo ad perfectionem evehere seduló curávit. Truculentis desperátisque homínibus necem sibimelipsis suspendio inferre conántibus superno lúmine aflatus præsto adstítit, è mortis limine fáucibusque dæmonis liberavit, et ad críminis confessionem addúxit, Sanctis Ludovico Bertrándo et Pascháli Baylon aliisque viris doctrina et sanctitate conspícuis fuit acceptíssimus, et ab íisdem ob vitæ sanctimóniam summis láudibus celebratus.

β. Amávit cum Dóminus...

#### LECTIO VI.

**A** Joanna Austriaca Philíppi Secundi sorore Matritum accitus Excalceatarum Moníalium, quos vocant Regalium, confessarii munus laudabiliter obívit. Orationi, et meditationi jugitèr addictus non semel à terra elevatus visus fuisse dicitur ac frequentes ádeo extases

passus, ut interdum viginti quatuor horas in raptu depréhensus, diu, noctuque passim, et ubique locorum ejusmodi deliciis perfrueretur, facie ut plurimum inflammata, luce ex ea irradiante, et uréntibus etiam carnibus. Idque frequentius ei contingebat in meditandis sacris fidei mysteriis; potissimum verò oriebatur ex ferventissimo amore, quo erga Sanctissimam Eucharistiam flagrabat, quare aliquando inter Eucharisticum Panem distribuendum, non solum miris extásibus extra se rapí, verum et sacras formas ad dígitos suos saltáre raro quidem prodigio observatum perhibetur. Singulari in Deum amore, ac in Virginem Matrem pietate effulsit, plurimisque supernis charismátibus fuit exornatus. Méritis tandèm et labóribus plenus in morbum incidit, ac satis memorándo humilitatis exemplo, in stábulo humári semel iterumque efflagitávit, próximique óbitus accépto

nuntio hilari ánimo in illa verba prorúpit: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi. Sacramentis item Ecclesiæ ritè munitus placidíssimè obiit Valentiae extra mœnia in conventu Jesu. Defuncti cadáver fléxile vegetum ac suavem spirans odórem novem dies, ut fidélium concúrsui fiéret satis, insepúltum remánsit. Triénno post exhumatum íntegrum adhuc fuit invéntum, ac Philippo Secundo Hispaniárum Regi conspiciendum exhibitum est. Postremò Dei servum miraculis étiam clarum Pius Sextus Póntifex Máximus solénni ritu beatórum fástis adscrípsit.

R. Iste homo perfécit...

*In 3. Noct. Homil. in Evangel. Sint lumbi, ut in eodem Communi primo loco.*

*In Quat. Temp. 9. lect. de Homil. Fer., et in Laud. fit de ea commemoratio: aña. Ecce completa.*

---

## IN FESTO

### UNIUS MARTYRIS NON PONTIF.

Homilia S. Hilarii in Evang. *Nolite arbitrari*  
ex Missà *In virtute.*

#### IN III NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum  
Matthæum.

**L**ECTIO VII. *Cap. 10.*

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram:

non veni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Episcopi.  
*Cap. 10.*

**Q**uæ ista divisio est? inter prima legis præcepta accépimus: Honóra patrem tuum et matrem

tuam, et ipse Dóminus ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Quid sibi vult missus potiùs gládus in terram, et separátus à patre filius, et filia à matre, et nurus adversùs sócrum, et hóminis doméstici ejus inimíci? Igitur exinde pública auctóritas impietáti proferétur. Ubique ódia ubique bella, et gládus Dómini inter patrem et filium, et inter filiam matremque dæséviens.

ꝯ. Coróna áurea...

#### LECTIO VIII.

**G**ládus telórum ómnium telum acutíssimum est, in quo sit jus potestátis, et judicíi severitas, et animadvérsio peccatórum. Et hujus quidem teli nómine novi Evangélii prædicatiónem appellátam frequens in Prophétis auctóritas est. Dei igitur verbum nuncupátum meminerimus in gládio: qui gládus missus in terram est, id est, prædicatió ejus hóminum córdibus infusa.

Fitque gravis in domo una dissensio, et doméstica novo Hómini erunt inimíca: quia ille per verbum Dei divisus ab illis, manére et interior et extérior, id est et corpus, et ánima, in spiritus novitáte gaudébit.

ꝯ. Hic est verè Martyr...

#### LECTIO IX.

**P**ergit deinde eódem præceptórum, et intelligentiæ decursu. Nam posteaquam relinquénda ómnia, quæ in sæculo charíssima sunt, imperáverat, adjécit: Qui non accípit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus: quia qui Chrísti sunt, crucifixerunt corpus cum vitiis et concupiscéntiis. Et indignus est Christo, qui non crucem suam, in qua compátimur commórimur consepelimur conresúrgimus accípiens, Dóminum sit secútus, in hoc sacraménto fidei spíritus novitáte victúrus.

Te Deum laudámus...



DIE XXX MAII

## MISSA

IN FESTO

## SANCTI FERDINANDI REGIS.

*Ex decreto SS. D. N. Pii VII. die 21. Sept. 1819.*INTROITUS. 1. *Paral.* 17. v. 24.

**P**ermáneat, et magnificétur nomen tuum usque in sempiternum; et dicátur: Dóminus exercituum Deus Israel.

*Psalm. Judith.* 16. 3. Dóminus cónterens bella: Dóminus nomen est illi. Glória Patri...

ORATIO.

**D**eus, qui B. Confessóri tuo Ferdinándi præliári prælia tua et fidei inimícos superáre dedísti: concéde; ut ejus nos intercessióne muniti ab hóstibus mentis et córporis liberémur. Per Dóminum....

Léctio Isaíæ Prophétæ.  
*Cap. 45.*

**H**æc dicit Dóminus christo meo Cyro, cujus apprehéndi dexteram, ut subiciam ante fáciem ejus Gentes, et dorsa regum vertam, et apériam coram eo jánuas, et portæ non claudéntur. Ego ante te ibo: et gloriósus terræ humiliabo: portas æreas cónteram, et vectes fërreos confringam. Et dabo tibi thesáuros absconditos et arcána secretórum; ut scias quia ego Dóminus, qui voco nomen tuum, Deus Israel. Ego suscitávi eum ad justítiam, et om-

nes vias ejus dirigam; ipse ædificábit civitátem meam, et captivitátem meam dimittet. Labor Ægypti, et negotiatio Æthiopiæ, et Sabáim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt. Post te ambulábunt, vincti máncis pergent. Confúsi sunt, et erubuérunt omnes: simul abiérunt in confusiónem fabricatóres errórum; quia mihi curvábunt omne genu, et jurábit omnis língua: meæ sunt justítiæ et imperium.

1. *Reg. 2. v. 10. Ps. 88. 19.* Dóminus dabit impérium Regi suo, et sublimábit cornu Christi sui: quia Dómini est assúptio nostra, et sancti Israel Regis nostri.

1. *Reg. 2. 10.* Allelúia, allelúia. Dóminum formidábunt adversárii ejus: et super ipsos in cælis tonábit. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélij  
secúndum Matthæum.  
*Cap. 22. v. 15.*

**I**n illo témpore: Pharisæi consílium inierunt, ut cáperent Jesum in sermóne. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodiánis dicéntes: Magíster, scimus quia verax es, et viam Dei in veritáte doces, et non est tibi cura de áliquo: non enim réspicis persónam hóminum: dic

ergo nobis quid tibi videtur; ꝫ licet censum dare Cæsari, an non? Cognitionâ autem Jesus nequitiâ eorum, ait: ꝫ Quid me tentatis, hypôcritæ? Ostendite mihi numisma censûs. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Jesus: ꝫ Cujus est imago hæc et superscriptio? Dicunt ei; Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. Et audiéntes mirati sunt; et relicto eo, abiérunt.

#### OFFERTORIUM.

*Ps. 75. vv. 12. 13.* Vovete, et reddite Dómino Deo vestro: omnes, qui in circúitu ejus affertis múnera. Terribili, et ei qui aufert spírítum princípum, terribili apud reges terræ.

**M** **SECRETÀ.**  
Múnera quæ offerimus, Dómine Deus noster, tibi sint plácita, et B. Ferdinándi Regis intercessione concede, ut nobis proficiant ad salutem ætérnam. Per Dóminum...

#### COMMUNIO.

*Ps. 135. vv. 25. 26.* Confitémini Deo cœli, qui dat escam omni carni: confitémini Dómino Dóminórum; quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

#### POSTCOMMUNIO.

**C**æléstis mensæ Córporis, et Sanguinis tui pábulo recreáti: quæsumus cleméntiam tuam; ut B. Ferdinándi Regis précibus et méritis ætérnæ retributionis dona capiámus. Per Dóminum...



# FEBRUARIUS XXVIII.

ORIGINE

## S. ANGELÆ MERICI V.

DUPLEX

*alb., omn. de cñi. Vv. præct. sequent.*

ORATIO.

**D**EUS, qui novum per beatam Angelam sacrarum virginum collegium in Ecclesia tua florere voluisti: da nobis ejus intercessione angelicis moribus vivere; ut terrenis omnibus abdicatis gaudiis perfrui mereamur æternis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

*Lectiones I Nocturni scr. occur., in Quadrag. De Virginibus.*

*II Nocturno.*

LECCIO IV.

**A**NGELA Mericia Decentiani, Veronensis Diocesis oppido, ad Lacum Benacum in ditione Veneta piis orta parentibus, a prima ætate virginitatis hlium, quod perpetuo servare statuerat, sedula sepsit.

Ab omni muliebri ornatu abhorrens egregiam vultus formam, pulchramque cæsariem studiose fœdavit, ut cœlesti duntaxat animarum Sponso placeret. In ipso autem adolescentiæ flore parentibus orbata, austerioris vitæ desiderio in desertum locum aufugere tentavit; sed ab avunculo prohibita novit præstare domi, quod in solitudine non licuit. Cilicio ac flagellis frequenter usa carnem non nisi infirma valetudine, vinum in Navitatis, et Resurrectionis Dominicæ tantum celebritate, complures vero dies nihil omnino degustavit. Oratiõni dedita brevissimum humi carpèbat somnum: dæmonem vero sub lucentis Angeli forma sibi illudere conantem agnovit protinus, et conjecit in fugam. Tandem paternis bonis abdicatis, et habitum ac regulam Tertii Ordinis sancti Francisci amplexa, evangelicam paupertatem virginitatis laudi conjunxit.



## LECTIO V.

**N**ULLUM pietatis officium erga próximos omittens, pauperibus, quicquid sibi ex mendicatio victu superesset, largiebatur; libenter ministrabat aegrotis, pluraque cum magna sanctitatis fama peragravit loca, ut vel solatio esset aethetis, vel eis veniam impetraret, vel infensos invicem reconciliaret animos, vel e vitiorum caeno scelerosos revocaret. Angelorum pane, quem unice esuriebat, frequentissime refecta, tanta charitatis vi ferebatur in Deum, ut saepius extra sensus raperetur. Sacra Palaestinae loca summa cum religione obivit: quo in itinere et visum, quem ad Cydonias appulsa oras amiserat, eodem regressa recuperavit, et barbarorum captivitatem ac naufragium immuens divinitus evasit. Romam denique firmam Ecclesiae petram veneratura, et amplissimae Jubilaei veniae percipida, sedente Clemente Septimo accessit; quam summus Pontifex allocutus, ejusdem sanctimoniam suscepit, et commendavit summopere; nec ab Urbe ipsam abire ante permisit, quam alio caelitus vocatam agnovit.

## LECTIO VI.

**B**RIXIAM itaque, ubi domum ad sanctae Aphrae templum condixit, reversa, novam ibi Virginum Societatem, sicut caelesti voce ac

visione mandatum sibi fuerat, sub certa disciplina, sanctisque vivendi regulis constituit, quam sancte Ursulae invictae Virginum ducis patrocinio ac nomine insignivit: eam vero perennem futuram morti proxima praedixit. Tandem prope septuagenaria dives meritis evolavit in caelum sexto Kalendas Februarii anni millésimi quingentésimi et quadragésimi, cujus cadaver per ipsos triginta dies inhumatum, flexibile, ac vivo simillimum perseveravit. Demum in sanctae Aphrae templo inter caeteras, quibus illud abundat, Sanctorum reliquias reposito, plurima ad ejus sepulchrum agi statim coepere miracula: quorum fama late diffusa, non Brixiae modo, e Decentiani, sed alibi etiam vulgo coepit nuncupari Beata, ejusque imago aris imponi; imo sanctus ipse Corchus Borromeus non multis post annis dignam, quae ad Apostolica Sede in sanctarum Virginum album referratur, Brixiae palam asseruit. Cultum verum illi jamdiu a populis exhibitum et tum locorum Ordinariis probatum, tum pluribus etiam Summorum Pontificum Indultis munus, Clemens Papa Decimus tertius solemnibus Decretis ratur habuit, ac confirmavit. Eam tandem, novis miraculis rite probatum insignem Pius Papa Septimus solemnibus Canonizatione in Vaticana Basilica peracta die Vigésima quarta Maii anno millésimo

clingentésimo séptimo Sanctá-  
um Virginum Catalogo adscrip-  
sit.

### *III Nocturno.*

*De Homilia in Evg. Simi-  
le erit Regnum Cælorum de  
cñi. 1 loco.*





iocum proponeret, in lacrymas effusus puer atque ad Deiparae Virginis aram confugiens emissum votum ferventius renovabat. Sexennis ad sanctorum vestigia sectanda in Monsenii speluncam secessit, in qua, dum patientis Christi mysteria in genua provolutus piis sensibus lacrymisque prosequitur, a patre repertus, domum redire coactus est. Neque tamen de praeronecepto severioris vitae proposito quidquam remisit. Unicum illi erat caelestium desiderium, perpetua cum Deo consuetudo, innocentis vero carnis maceratio maior quam ut tenera illa aetas ferre posse videretur. Nam ter in unaquaque hebdomada ieiunans, somnum super sarmentorum fascibus, saxo capiti supposito, carpens, flagellis in se ipsum saevire, et etiam aliquando corpusculum Sancti Francisci exemplo in spinarum acervum conicere et cruentandum volutare non dubitavit, quin tamen singulari Dei beneficio spinae illae purissima membra attingerent atque in minimo offenderent. Quibus aliisque cruciatibus admirabili filii poenitentiae proludebat, quam postea ad hominum stuporem tantopere adauxit.

#### LECTIO V.

**A**NNO aetatis duodecimo nondum expleto solus et pedes egrediens de domo et cognatione sua Barcinonam contendit ibique

Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Ordinem inter Calceatos amplexus. quamprimum per aetatem licuit solemnia vota nuncupavit. Paucis inde post mensibus ad strictiorem Discalceatorum eiusdem Ordinis Familiam se transtulit. In hac nova Regularis disciplinae palestra mirum est quot quantisque virtutum incrementis etiam inter continuas studiorum exercitationes anteaetae vitae sanctitatem cumularerit. Tanto enim studio singulas Instituti leges observabat ut nullam ex eis praeteriisse compertum fuerit. Virginitatem, quam quinquennis Deo voverat, non modo inviolatam servavit, verum etiam praeclarissimo Dei munere nunquam carnis illecebris allectus est, neque in mente cogitationem ullam minus honestam habuit. Aretissima predictus paupertate per plures annos neque cubiculum habuit neque pulvinar, ubi caput reclinaret. Christi mansuetudine indutus, cum omnibus patiens fuit et misericors; iis, qui sibi contumelias aut damnum intulerant, semper pro malo bonum reddidit. Invicta in adversis enituit fortitudine. Prudentissimus in aliorum regimine, sibi se iudicem acerrimum, reliquis vero humanissimum patrem exhibuit.

#### LECTIO VI.

**C**UM Deum totis viribus diligere, ab ipso maximis locupletari

meruit charismatibus. Nam crebris et mirificis rapiebatur ecstasibus, quibus vel in sublime toto assurgebat corpore, vel coelum ascendere videbatur cum aut de Dei bonitate loqueretur; aut sacris operans Calicem elevaret. Nec minori erga proximos charitate flagrabat, quos et privatis consiliis et publicis concionibus et assidua Sacramenti Poenitentiae administratione iuvare nunquam praetermisit. Cum vero virtutes eius non populi modo, sed viri principes admirarentur, ea tamen erat animi dimissione ut se daemonibus ipsis deteriorem affirmaret. At humani generis Redemptor, cui exaltare humiles in deliciis est, hunc servum suum fidelem peculiari voluit illustrare prodigio, quo ipse divini sui cordis mysticam commutationem cum corde illius inire dignatus est. Hoc itaque charitatis incendio decumbens spiritum Deo reddidit Vallisoleti die decima Aprilis Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, aetatis suae trigesimo tertio. Quem multis ante et post obitum miraculis clarum Summus Pontifex Pius Sextus Beatorum fastis adscripsit. Pius vero Nonus Pontifex Maximus sacro Cardinalium aliorumque fere trecentorum Antistitum Ecclesiae et Apostolicae Sedis iura strenue contra insidiantes hostes propugnantium Senatu circumdatus, recurrente plausu Urbis et Orbis sacro Pentecostes die octava

Junii anni millesimi octingentesimi sexagesimi secundi in Vaticana Basilica illum novis fulgentem signis Sanctorum cathalago solemniter accensuit.

## IN TERTIO NOCTURNO

### LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

*Cap XII v. 20.*

**I**n illo tempore respondens Jesus ait Sadducæis: erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei; in resurrectione enim neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in coelo. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

*Lib. de Virginitate.*

**V**IRGINITAS est bona: id ego quoque fateor. Atqui nuptiis etiam melior; et istud tibi assentior: ac si libet, illud adiunguam tanto nuptiis eam praestare, quantum coelum terrae, quanto hominibus Angeli antecellunt: ac si quid praeterea addendum est, etiam magis. Nam si neque nubunt Angeli, neque uxorem ducunt; non etiam carne et sanguine coagmentati sunt; in terris praeterea non commorantur, non cupiditatum aut libidinum per-

turbationibus sunt obnoxii; non tibi indigent aut potus; non sunt eiusmodi. ut eos dulcis sonus, aut cantus mollis, aut praeclara species possit allicere: nulla denique eius generis illecebra capiuntur.

#### LECTIO VIII.

**A**T humanum genus cum natura beatis illis mentibus inferius sit, omni vi studioque contendit, ut, quoad eius fieri potest, illas assequatur. Quomodo? non nubunt Angeli, at neque etiam Virgo. Assistentes illi semper ad Deum, eidem inserviunt, et istud ipsum Virgo. Quod si virgines, quamdiu corporis onere depri-muntur, quemadmodum angeli, in coelum nequeunt ascendere; illud eo vel maximo solatio compensant, quod modo spiritu et corpore sancti sint, coeli Regem recipiunt. Videsne, virginitatis praestantiam? quomodo terrarum incolae sic afficiat, ut qui corpo-

re vestiti sunt, eos incorporei mentibus exaequet?

#### LECTIO IX.

**Q**UA enim, quaeso, re differebant ab Angelis Elias, Eliseus Joanes, veri hi virginitatis amantes nulla, nisi quod mortali natura constabant. Nam cetera quis diligenter inquirat, hi nihil ominis affecti reperientur, quam beatae illae mentes; et id ipsum quo inferiore conditione videntur esse, in magna est eorum laudiponendum. Ut enim terrarum incolae, et qui essent mortal natura, possent ad illam virtutem vi et contentione pervenire vide quanta eos fortitudine, quanta vitae ratione praeditos fuisse oporteat.

Te Deum laudamus.

---

#### MISSA

Propria ut in appendice Missalis Romani.

# IN FESTO

## PURISSIMI CORDIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

DUPLEX MAJUS

OFFICIUM ET MISSA APROBAT. A S. R. C.

DIE 21 JULII 1855.

---

### AD VESPERAS.

*Antiph. et Cap. de Laudibus.*

*Psalmi ut in Officio parvo.*

*Hymnus.* = Ave Maris Stella.

✠. Exulta in omni corde,  
filia Jerusalem:

℣. Rex Israel Dominus in  
medio tui.

*Ad Magnif. Ant.* Exultavit  
cor meum in Domino, et exal-  
tatum est cornu meum in Deo  
meo, quia laetata sum in salu-  
tari tuo.

### ORATIO.

○mnipotens sempiternus Deus,  
qui in Corde Beatæ Mariæ  
Virginis dignum Spiritus Sanc-  
ti habitaculum præparasti,  
concede propitius ut ejusdem  
Purissimi Cordis festivitatem

devota mente recolentes, se-  
cundum Cor tuum vivere va-  
leamus. Per Dominum.

### AD MATUTINUM.

*Invitat.* Ave Maria gratia  
plena \* Dominus tecum.

*Psalms.* Venite exulte-  
mus Domino.

*Hymnus.* Quem terra, pon-  
tus, sidera etc.

### IN I. NOCTURNO.

*Ant.* Benedicta tu inter  
mulieres, et benedictus fructus  
ventris tui.

*Psalmi ut in Officio parvo*  
*B. Mariæ.*

*Ani.* Et ait Maria: Magni-  
ficat anima mea Dominum, et  
exultavit spiritus meus in Deo  
salutari meo.

*Ant.* Quia respexit humili-

tatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Ÿ. Anima mea liquefacta est:

ñ. Ut locutus est dilectus.

## De Casticis Cantigerum.

### Lectio I. Cap. 4.

**Q**uam pulchra es amica mea, quam pulchra es! oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut vitia coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genus tuae, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis: mille elypei pendunt ex ea, omnia armatura fortium. Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui. Pavus distillans labia tua Sponsa, mel et lac sub lingua tua. Hortus conclusus, fons signatus. Tu autem.

ñ. Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum \* Ut timeat nomen tuum.

Ÿ. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. Ut timeat

### Lectio II. Cap. 5.

**V**eni in hortum meum Soror mea Sponsa: messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedivi mecum melle meo. Vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, innocens mea, quia caput meum plenum est rore, et coccini mei gattis noctium. Surrexi ut aperirem dilecto meo, manus meae stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. Aperui dilecto meo, at ille declinaverat atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est. Tu autem.

ñ. In Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo: Deus Dominus fortitudo mea \* Super excelsa deducet me.

Ÿ. Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplebitur me. Super.

### Lectio III. Cap. 5 et 6.

**Q**ualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum: qualis est dilectus tuus

ex dilecto, quia sic adjurasti nos? Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiae Jerusalem. Quo abiit dilectus tuus o pulcherrima mulierum? Quo declinavit dilectus tuus? et quaeremus eum tecum. Pulchra es amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suae, electa genitrici suae. Viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt, et Reginae laudaverunt eam. Tu autem.

℞. Inveni gratiam apud oculos tuos, Domine mi, \* Qui consolatus es me, et locutus es ad cor ancillae tuae.

℣. In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me a mandatis tuis. Qui consolatus. Gloria Patri. Qui consolatus.

## IN II. NOCTURNO.

*Ant.* Beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino.

*Ant.* Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

*Ant.* Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

℣. Fortis est ut mors dilectio.

℞. Dura sicut infernus aemulatio.

## Sermo Sancti Bernardini Senezis.

*De Serm. 9. de Visitatione.*

### Lectio IV.

Quis mortalium, nisi divino fretus oraculo, de vera Dei et hominis Genitrice quidquam modicum, sive grande praesumat pollutis labiis nominare: quam Pater ante saecula Deus perpetuam praedestinavit in Virginem dignissimam: Filius elegit in Matrem: Spiritus Sanctus omnis gratiae domicilium praeparavit? Quibus verbis ego homunculus sensus altissimos Virginei Cordis, sanctissimo ore prolatus efferam; quibus non sufficit lingua omnium hominum, et etiam angelorum? Dominus enim ait: bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. Quis autem inter puros homines melior homo potest excogitari, quam illa, quae meruit effici Mater Dei,

quae in Corde et in utero suo ipsum Deum hospitata est? Quis thesaurus melior, quam ipse divinus amor, quo Cor Virginis ardens erat? Tu autem.

ñ. Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me. Mecum sunt divitiae et gloria: \* Opes superbae et justitia.

ÿ. Ut ditem diligentes me et teshauros eorum repleam. Opes.

#### Lectio V.

**D**e hoc igitur Corde quasi fornace divini ardoris Virgo Beata protulit verba bona, id est verba ardentissimae charitatis. Sicut enim a vase optimo vino pleno non potest exire nisi optimum vinum: aut sicut a fornace summi ardoris non egreditur nisi incendium fervens; sic de Corde Matris Christi exire non potuit verbum nisi summi, summeque divini amoris atque ardoris. Septem verba tantum mirae sententiae et virtutis a Christi benedictissima Matre leguntur dicta. Cum Angelo bis tantum locuta est. Cum Elisabeth, bis etiam. Cum Filio etiam bis. Cum ministris in nuptiis semel. Haec septem

verba, secundum septem amoris actus, sub miro gradu et ordine prolata, quasi sunt septem flammae Cordis ejus. Tu autem.

ñ. Ego Mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis \* In me omnis spes vitae et virtutis.

ÿ. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. In me omnis spes.

#### Lectio VI.

**Q**uae verba considerans mens devota, cum ipso Propheta ait: Quam dulcia faucibus meis, id est omnibus affectionibus eloquia tua! Porro dulcedo haec, quam in verbis Beatae Virginis devota mens sentit, est ardor piae devotionis, quam in eis anima experimentaliter probat. Distinguiamus igitur per ordinem has septem flammulas amoris, verborum Virginis benedictae. Prima est flamma amoris separantis. Secunda amoris transformantis. Tertia amoris communicantis. Quarta amoris jubilantis. Quinta amoris soporantis. Sexta amoris compatientis. Septima amoris

consummantis. Tu autem.

ñ. Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii mei. \* Qui me invenerit inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

ÿ. Qui autem in me peccaverit, laedet animam suam: Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Qui me.

Gloria Patri. Qui me.

### IN III. NOCTURNO.

*Ant.* Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?

*Ant.* Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

*Ant.* Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae.

ÿ. Ego dilecto meo.

ñ. Et ad me conversio ejus.

### Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

#### Lectio VII. Cap. II.

**I**n illo tempore: dixit Mater Jesu ad illum; Fili quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Et reliqua.

### De Homilia Ven. Bedae Presbyteri.

#### In Homil. Hyem. de Temp. Dom. I. post Epiph.

**M**ater ejus, inquit Evangelista, conservabat omnia verba haec in corde suo. Omnia quae de Domino vel a Domino dicta, sive acta cognoverat Mater Virgo, diligentius in Corde retinebat, sollicitè cuncta memoriae commendabat, ut eum demum tempus praedicandae, sive scribendae Incarnationis ejus adveniret, sufficienter universa, prout essent gesta, posset explicare quaerentibus. Imitemur et nos, Fratres mei, piam Domini Matrem, ipsi quoque omnia verba et facta Domini ac Salvatoris nostri fixa in corde conservando. Tu autem.

ñ. Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem: \* Neque flumina obruent eam.

ÿ. Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Neque.

#### Lectio VIII.

**I**llorum Domini verborum et actorum meditatione diurna et

nocturnâ importunos inanium nocentiumque cogitationum repellamus incursum: horum crebra collatione et nos et proximos nostros a fabulis supervacuis, et male duleoratis detractionum colloquiis castigare, atque ad divinae frequentiam laudis accendere curemus. ° Si enim fratres carissimi, in futuri beatitudine saeculi habitare in domo Domini, ac perpetuo illum laudare desideramus, oportet nimirum et in hoc saeculo, quod in futuro quaeramus, sollicitè praemonstramus: frequentando videlicet Ecclesiae limina, et non solum in ea laudes Domini canendo, sed et in omni loco dominationis ejus ea, quae ad laudem gloriamque conditoris nostri proficiant, verbis pariter ac factis ostendendo. Tu autem.

R. Spiritus meus super mel dulcis, et haereditas mea super mel et favum. Qui audit me non confundetur. \* Et qui operantur in me non peccabunt.

†. Qui elucidant me vitam aeternam habebunt. Et qui.

Gloria Patri. Et qui.

### Lectio IX.

*De Homilia Dominicae occur-*

*rentis, sed si extra Dominicam agi de hoc Festo contingat, tunc Lectio IX, incipiet ab asterisco posito supra Lectio-  
ne VIII.*

Te Deum laudamus.

### AD LAUDES

ET PER HORAS.

*Ant.* Trahe me post te curremus in odorem unguentorum tuorum.

*Psalmus.* Dominus regnavit—*cum reliquis de Dominica.*

*Ant.* Dilectus meus loquitur mihi: surge, propera, amica mea.

*Ant.* Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo.

*Ant.* Adjuro vos, filiae Jerusalem, ne suscitatis dilectam quoadusque ipsa velit.

*Ant.* Ego dormio, et cor meum vigilat.

*Capitulum. Cant. C. 2.*

**P**one me ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio. Lampades ejus lampades ignis atque flammaram.

## HYMNUS.

O gloriosa Virginum....

☩. Qui me invenerit inveniet vitam:

℞. Et hauriet salutem a Domino.

*Ad Benedictus. Ant.* Extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: beatus venter qui te portavit et ubera quae suxisti.

## ORATIO.

**O**mnipotens sempiternae Deus, qui in Corde Beatæ Mariæ Virginis dignam Spiritus Sancti habitaculum præparasti, concede propitius ut ejusdem purissimi Cordis festivitatem devota mente recolentes, secundum Cor tuum vivere valeamus. Per Dominum.

## AD PRIMAM.

℞. Breve. Christe Fili Dei vivi.

☩. Qui natus es de Maria Virgine. *Ad Absolutionem Capituli lectio brevis.* In omni terra, *ut infra ad Nonam.*

## AD TERTIAM.

*Ant.* Dilectus meus.

*Cap.* Pone me ut signaculum.

℞. *br.* Anima mea \* Liquefacta est Anima.

☩. Ut locutus est dilectus. Liquefacta est.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Anima mea.

☩. Fortis est ut mors dilectio:

℞. Dura sicut infernus aemulatio.

## AD SEXTAM.

*Ant.* Fulcite.

*Cap.* *Eccli.* 24.

**E**go ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam, ego feci in coelis, ut orretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram

℞. *br.* Fortis est \* Ut mors dilectio. Fortis.

☩. Dura sicut infernus aemulatio. Ut mors.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Fortis est.

☩. Ego dilecto meo.

℞. Et ad me conversio ejus.

## AD NONAM.

*Ant.* Ego domino.

Cap. Eccl. 24.

In omni terra steti, et in omni populo, et in omnibus requiem quaesivi, et in haereditate Domini morabor.

R. *br.* Ego \* Dilecto meo. Ego.

Ÿ. Et ad me conversio ejus. Dilecto meo.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Ego dilecto meo.

Ÿ. Qui me invenerit inveniet vitam.

Ÿ. Et hauriet salutem a Domino.

IN SECUNDIS VESPERIS.

*Omnia ut in primis.*

Ÿ. Viam mandatorum tuorum cucurri:

R. Cum dilatasti Cor meum.

*Ad Magnificat. Antif.* Exultavit Cor meum in Deo salutari meo: quia fecit mihi magna qui potens est.

REGNI HISPANIARUM.

Serenissima Regina Catholica Elisabeth II, œmulatura pia studia illorum ex Regibus Hispaniae, qui Beatissimam Virginem Mariam tenerrimo filiali affectu veneran-

tes, Illius cultum in dies magis promovere inter gentes sibi subditas concupiverunt. ut Deiparae patrocinio, novo obsequio implorato, felicitatis Sui Status res singulae procedant, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam IX, suppliciter exoravit, ut cuncta Apostolica Benignitate in omnibus Regionibus Hispaniae a modo recoli valeat de praecepto Festum Purissimi Cordis Deiparae Dominicae tertia post Pontecostem, vel Dominica post Octavam Assumptionis, cum Officio et Missa propriis a Sancta Sede approbatis die 21 Julii anni 1851. Haec porro tam fervida vota Sanctitas Superamantèr excipiens, annuerit dignata est ut in omnibus Dominis Serenissimae Reginae Catholicae a Clero Saeculari et Regulari, nec non a Sanctimonialibus cujuscumque Instituti, alterutro ex enunciatis Dominicis, ritu duplici majori persolvatur Officium proprium cum Missa Purissimi Cordis Beatae Mariae Virginis; ac insuper indulset, ut hoc Festum transferri valeat cum officio et Missa ad primam sequentem diem liberam, quibus annis juxta Decreta in propria sede locum habere nequit, dummodò Rubricae serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 26 Junii 1862.

C. Episcopus Portuensis et S. Rufinae Cardinalis Patrizi, S. R. C. Praefectus. — (Hay un sello) — D. Bartolini, S. R. C. Secretario.

# DIE II AUGUSTI

PRO HAC VERÓ DICÆ. AURIENS. PERP. DIE XIX.

## OFFICIUM

**S. ALPHONSI MARIE DE LIGORIO Ep. et C.**

**Duplex.**

**Omnia de communi Conf. Pont. præter sequentia.**

### ORATIO.

**D**eus, qui per Beatum Alphonsum Mariam Confessorem tuum atque Pontificem animarum celo succensum Ecclesiam tuam nova prole fecundasti, quæsumus, ut ejus salutaribus monitis edocti, et exemplis roborati, ad te pervenire feliciter valeamus. Per.

### IN I. NOCTURNO

*LECTIONES DE SCRIPT. OCCURRENTIBUS.*

### IN II. NOCTURNO.

#### LECTIO IV.

**A**lphonsus Maria de Ligorio Neapoli nobilibus parentibus natus, ab ineunte ætate non obscura præbuit sanctitatis indicia. Eum adhuc infantem cum parentes obtulissent Beato Francisco de Hieronymo e Societate

Jesu, is bene precatus edixit eundem ad nonagesimum usque annum perventurum, ad episcopalem dignitatem evectum iri, maximoque Ecclesiæ bono futurum. Jam tum a pueritia a ludis abhorrens nobiles ephebos ad christianam modestiam verbo et exemplo componebat. Adolescens, dato piis sodalitiis nomine, in publicis nosocomiis ægrotis inservire, jugi in templis orationi vacare, ac sacra Mystera frequenter obire in deliciis habebat. Pietatem litterarum studiis adeo conjunxit, ut sexdecim vix annos natus utriusque juris lauream in patria Universitate fuerit assecutus. Patri obtemperans, causarum patrocinia suscepit, in quo munere obeundo etsi magnam sibi laudem comparasset, fori tamen pericula expertus, ejusmodi

vita institutum ultro dimisit. Sprocto igitur præclaro conjugio sibi à patre proposito, avitâ primogeniturâ abdicatâ, et ad aram Virginis de Mercede ense suspenso, divinis ministeriis se mancipavit. Sacerdos factus tanto celo irruit in vitia, ut Apostólico mûnere fungens, huc illuc pèrvolans, ingentes pèrditorum hómînum conversiones perageret. Pâuperum præsertim et ruricularum miseratus Congregationem Presbyterorum instituit Sanctissimi Redemptoris, qui ipsum Redemptorem secuti, per agros, pagos, et castella pauperibus evangelizarent.

#### LECTIO V.

**N**e autem à propósito unquam diverteret, perpetuo se voto obstrinxit nullam temporis jacturam faciendi. Hinc animarum zelo succensus, tum divini verbi prædicatione, tum scriptis sacra eruditione et pietate refertis ánimas Christo lucrificare, et ad perfectiorem vitam adducere studuit. Mirum sanè quot odia extinxerit, quot devios ad rectum salutis iter revocaverit. Dei Genitricis cultor eximius, de illius laudibus librum edidit, ac de iis dum ferventiùs concionando disserit à Virginis imagine in eum immisso miro splendore, totus facie

coruscare, et in éxtasim rapi coram universo pópulo non semel visus est. Dominicæ Passionis et sacre Eucharistiæ contemplator assiduus, ejus cultum mirificè propagavit. Dum vero ad ejus aram oraret, vel sacrum faceret, quod nunquam omisit, præ amoris vehementia, vel seraphicis liquescebat ardoribus, vel insólitis quatiebatur motibus, vel abstrahebatur à sensibus. Miram vitæ innocentiam, quam nulla umquam lethali labe sædavit, pari cum pænitentia socians, corpus suum inediâ, ferreis catenis; ciliciis, cruentaque flagellatione castigabat. Inter hæc prophetiæ, scrutationis cordium, bilocationis, et miraculorum donis inclaruit.

#### LECTIO VI.

**A**b ecclesiasticis dignitatibus sibi oblatis constantissime abhorruit. At Clementis XIII Pontificis auctoritate coactus, Stæ. Agathæ Gothorum ecclesiam gubernandam suscepit. Episcopus externum dumtaxat habitum, non autem severam vivendi rationem immutavit. Eadem frugalitas, summus Christianæ disciplinæ zelus, impensum in vitiis coercendis, arcendisque erroribus, et in reliquis pastoralibus muneribus obeundis studium. Liberalis in pauperes,

omnes Ecclesiae proventus iisdem distribuebat, ac urgente annonae caritate, ipsam domesticam suppellectilem in alendis familiaribus erogavit. Omnibus omnia factus, Sanctimonialia ad perfectiorem vivendi formam redegit, suaeque Congregationis Montalium monasterium constituendum curavit. Episcopatu ob graves habitualesque morbos dimisso, ad alumnos suos, a quibus pauper discesserat, revertitur pauper. Demum quamvis senio laboribusque, diuturna arthritide, aliisque gravissimis morbis fractus corpore, spiritu tamen alacrior de ca-

lestibus rebus disserendi aut scribendi finem numquam adhibuit, donec nonagenarius Kalendis Augusti anno millésimo septingentésimo octogésimo séptimo Nuceriae Paganorum inter suorum alumnorum lacrymas placidissimè expiravit. Eum inde virtutibus et miraculis clarum Pius VII. P. M. anno millésimo octingentésimo decimo sexto Beatorum fastis adscripsit, novisque fulgentem signis Gregorius XVI. in festo Smae. Trinitatis, anno millésimo octingentesimo trigésimo nono, solemniter Sanctorum catalogo accensuit.

*In III Noct. Homil. in Evangel. Designavit Dominus de Com. Evang.*

A. M. D. G.



DIE VIII. DECEMBRIS.

IN FESTO

# IMMACULATÆ CONCEPTIONIS

BEATÆ MARIE VIRGINIS.

IN HISPANIA DUPLEX PRIMÆ CLASSIS CUM OCTAVA.

IN PRIMIS VESPERIS.

*Ant.* Tota pulchra es,  
Maria, cum reliquis de  
Laudibus.

*Psalmi ut in Festis Beate  
Mariæ Virginis per An-  
num.*

*Capitul. Prov. 8. c*  
**D**óminus possédit me in  
initio viarum suarum, ánte-  
tequam quidquam faceret  
à principio. Ab ætérno  
ordináta sum, et ex anti-  
quis ántequam terra fie-  
ret. Nondum erant abys-  
si, et ego jam concepta  
eram.

*Hymnus.*

**A**ve, maris stella,  
Dei Mater alma,  
Atque semper virgo,  
Felix cœli porta.  
Sumens illud Ave  
Gabriélis ore;  
Funda nos in pace,  
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,  
Profer lumen cæcis,  
Mala nostra pelle,  
Bona cuncta posce.  
Monstra te esse Matrem,  
Sumat per te preces,  
Qui pro nobis natus  
Tulit esse tuus.

Virgo singularis,  
Inter omnes mitis;  
Nos culpis solutos,  
Mites fac et castos,  
Vitam præsta puram,  
Iter para tutum,  
Ut videntes Jesum,  
Semper collatémur.  
Sit laus Deo Patri,  
Summo Christo decus,  
Spirítui sancto,  
Tribus honor unus,  
Amen.

*✠.* Immaculáta Con-  
ceptio est hodiè Sanctæ  
Mariæ Virginis, *ñ.* Quæ  
serpéntis caput virgíneo  
pede contrívit.

In officio votivo per annum (ubi concessum est) omisso *ꝛ*. Immaculata Conceptio est hodiè, ejus locotam in Vesperis quam in Laudibus dicatur:

*ꝛ*. Immaculata Conceptio tua, Dei Génitrix Virgo, *n*. Gaudium annuntiavit univèrso mundo.

*Ad Magnificat, Antiph.*  
Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est. Allelúia.

*Oratio.*  
**D**eus, qui per Immaculatam Virginis Conceptiónem dignum Filio tuo habitáculum præparásti; quæsumus, ut qui ex morte ejúsdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúndem Dóminum...

*Deinde fit commemoratio Feriæ occurrentis.*

*Ad Matutinum, Invit.*  
Immaculatam Conceptiónem Virginis Mariæ celebrémus. Christum ejus Filium adorémus Dóminum.

*Psalm.* Veníte exultémus.

*Hymnus.*  
**P**ræclára custos Virginum,

Intácta mater Núminis,  
Cœlestis aulæ jánuæ,  
Spes nostra cœli gáudium.

Inter rubéta lilium,  
Colúmba formosissima,  
Virga è radice gérminans  
Nostro medélam vulneri.

Turris draconí impérvia,  
Amíca Stella náufragis,  
Tuére nos à fráudibus,  
Tuáque luce dirige.

Erróris umbras discute,  
Syrtes dolósas ámove,  
Fluctus tot inter, déviis  
Tutam reclúdesémitam.

Jesu, tibi sit glória  
Qui natus es de Virgine  
Cum Patre et almo Spíritu

In sempitérna sæcula.  
Amen.

IN I. NOCTURNO.

*Ant.* Admirábile est nomen tuum, Dómine, in univèrsa terrá, quia in Virgine María dignum tibi habitáculum præparásti.

**Psalmi ut in festis Beate M. V. per annum. Antiphona.** In sole posuit Deus tabernaculum suum.

**Ant.** In Conceptione sua accepit Maria benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo.

**Ꝙ.** Deus omnipotens praecepsit me virtute. **Ꝟ.** Et posuit immaculatam viam meam.

De Libro Genesis.

**Lectio i.** *Cap. 3.*  
Serpens erat callidior cunctis animantibus terrae, quae fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur praecipit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi? Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quae sunt in paradiso, vescimur: de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, praecipit nobis Deus ne comederemus, et ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: et eritis sicut Dii

sciētes bonum et malum.

**Ꝟ.** Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, in quo omnes peccaverunt. Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum. **Ꝙ.** Eripuit Dominus animam tuam de morte, et contra inimicum factus est protector tuus. Ne timeas.

**Lectio ii.**

**V**idit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile: et tulit de fructu illius, et comedit: deditque viro suo, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum: cumque cognovissent se esse nudos consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata. Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam et uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni paradisi.

**Ꝟ.** Transite ad me, omnes qui concupiscitis me; Et narrabo vobis quanta fecit Deus animae meae. **Ꝙ.** Vivit Dominus

quóniam adimplévit in me misericórdiam suam. Et narrábo vobis.

**Lectio iii.**  
**V**ocavitque Dóminus Deus Adam et dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam audivi in Paradiso: et timui, eo quod nudus essem, et abscondi me. Cui dixit: Quis enim indicávit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præcéperam tibi ne coméderes, comedisti? Dixitque Adam: Múlier quam dedisti mihi sóciam, dedit mihi de ligno, et comédi. Et dixit Dóminus Deus ad Múliera: Quare hoc fecisti? Quæ respóndit: Serpens decépit me et comédi. Et ait Dóminus Deus ad serpéntem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter ómnia animántia, et béstias terræ; super pectus tuum gradieris, et terram cómedes cunctis diebus vitæ tuæ: Inimicías ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: Ipsa cónteret caput tuum, et tu insidiáveris calcáneo ejus.

**¶.** Electa mea cándida sicut nix in Líbano; sicut favus distillans lábia ejus; Melet lac sub lingua illius. **¶.** Veni de Líbano, Sponsa mea, veni coronáberis coroná gratiárum. Mel. Glória. Mel.

IN II. NOCTURNO.

**Ant.** Diffúsa est grátia in Conceptione ejus, et Speciósá apparuit inter filias hóminum. **Ant.** Adjúvit eam Deus manè dilúculo; sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus. **Ant.** Gloriósa dicta sunt de te, Cívitas Dei; fundávit te Dóminus in móntibus sanctis. **¶.** In hoc cognóvi quoniam voluisti me. **¶.** Quóniam non gaudébit inimicus meus super me.

Sermo Sancti Hierónymi Presbyteri.

*De Assumpt. B. M. V.*

**Lectio iv.**  
**Q**ualis et quanta esset beáta, et gloriósa semper Virgo María, ab Angelo divinitus declaráta, cum dicitur Ave grátia plena, Dóminus tecum: Benedicta

tu in mulieribus. Talibus namque decébat Virginem oppignorári munéribus, ut esset grátia plena, quæ dedit cælis glóriam, terris Dóminum, pacémque refúdit, fidem Géntibus, finem vítiis, vitæ órđinem, móribus disciplinam. Et bene plena, quia céteris per partes præstatur: Mariæ vero simul se tota infúdit plenitúdo grátia. Verè plena, quia etsi in sanctis Pátribus, et Prophétis grátia fuisse créditur: non tamen eátenus plena: in Mariá vero totius grátia, quæ in Christo est, plenitúdo venit, quamquam áliter. Et ideò inquit: Benedicta tu in mulieribus: id est plus benedicta, quam omnes mulieres. Ac per hoc quidquid maledictiónis infusum est per Hevam, totum ábstulit benedictio Mariæ. De ipsa Sálomon in Cánticis, quasi in laudem ejus: Veni, inquit, colúmba mea, immaculáta mea. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Ac deínde inquit: Veni de Líbano, veni coronáberis.

¶. Ego ex ore Altissimi prodivi primogénita ante omnem creaturam: ego feci in cælis ut orirétur lumen indeficiens.

\* Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram.

†. Deus enim creávit me in justítia, et aprehéndit manum meam, et servávit me. Nondum.

### Lectio v.

**N**on imméritò igitur venire de Líbano jubétur, quia Líbanus candidátio interpretátur. Erat enim candidáta multis meritórum virtútibus, et dealbáta nive candidior, Spíritus Sancti munéribus, simplicitátem colúmbæ in ómnibus repræséntans, quóniam quidquid in ea gestum est, totum púritas et simplicitas, totum véritas et grátia fuit; totum misericórdia et justítia, quæ de cælo prospéxit: et ideò immaculáta, quia in nullo corrúpta. Circúddedit enim virum in útero, sicut Jeremías sanctus testátur, et non aliúndè accépit. Fáciét, inquit, Dó-

minus novum super terram, et mulier circumdabit virum. Verè novum et omnium novitatum supereminens novitas virtutum, quando Deus (quem ferre non potest mundus, neque videre aliquis, ut vivere possit) sic ingressus est hospitium ventris, ut corporis claustrum nesciret: sicque gestatus, ut totus Deus in eo esset (sicut Ezechiel fatetur) porta omnino clausa. Unde canitur in eisdem Canticis de ea: Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradus. Verè hortus deliciarum, in quo consita sunt universa florum genera, et odoramenta virtutum: sicque conclusus, ut nesciat violari, neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus. Fons itaque signatus sigillo totius Trinitatis. (*Hacten. S. Hieron.*)

¶ Nihil inquinatum in eam incurrit: Candor est lucis aeternæ et speculum sine macula. ✠ Est enim hæc speciosior sole, et luci comparata invenitur purior. Candor est.

### Lectio vi.

Deiparæ autem Virginis in sua Conceptione de terrimo humani generis hoste Victoriâ, quam divina eloquia, veneranda traditio, perpetuus Ecclesiæ sensus, singularis Episcoporum ac fidelium conspiratio, insignia quoque summorum Pontificum acta atque Constitutiones mirifice jam illustrabant; Pius Nonus Pontifex Maximus totius Ecclesiæ votis annuens statuit supremo suo atque infallibili oraculo solemniter proclamare. Itaque Sexto idus Decembris anni millésimi octingentésimi quinquagésimi quarti in Basilica Vaticana ingenti Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Patrum Cardinalium, et Episcoporum ex dissitis etiam regionibus adstante cœtu, universoque plaudente orbe solemniter pronuntiavit ac definivit: Doctrinam quæ tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ Conceptionis fuisse, singulari Dei privilegio, ab omni

originalis culpæ labe præservatam immūnem, esse à Deo revelatam, ac proinde ab omnibus fidelibus firmiter constantérque credendam.

**R.** Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus: Et in capite ejus coróna stellarum duodecim. **V.** Induit eam Dominus vestimentis salutis, indumento justitiæ, et quasi sponsam ornávit eam monilibus suis. Et in capite. Glória. Et in capite.

IN III. NOCTURNO.

**Antiph.** Sanctimónia et magnificéntia in Conceptione ejus; annuntiáte in omnibus pópulis glóriam ejus. **Ant.** Lætámini omnes in Dómino: et confitémini memóriæ sanctitátis ejus. **Ant.** Notum fecit Dominus opus suum: in conspéctu géntium revelavit glóriam genitrícis suæ.

**V.** Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepisti me.

**R.** Nec delectásti inimicos meos super me.

Léctio sancti Evangelii secundum Lucam.

**Lectio vii. Cap. 1.**

**I**n illo tempore: Missus est Angelus Gábriel à Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia sancti Germáni Episcopi.

*In Præsent. Deip.*

**A**ve María grátiá plena, Sanctis Sanctior, et cælis excelsior, et Chérubim gloriósior, et Séraphim honorabilior, et super omnem creaturam venerabilior. Ave colúmba quæ nobis et fructum fers olivæ, et servatórem à spiritali dilúvio, ac portum salutis annúntias, cujus pennæ deargentatæ, et posterióra dorsi in pallóre auri sanctíssimi et illuminántis Spiritús fulgóre irradiántur. Ave amœnissimus et rationalis Dei paradísus, benevolentíssima et omnipoténti ejusdem dextra hodiè ad orientem plan-

tatus, et ipsi suave olens liliū, et rosam immarcescibilem germinans in eorum medelam qui pestiferam animæque exitialem amaritudinem mortis ad occidentem ebiberant; paradīsus, in quo ad veritatis agnitionem lignum vivificum efflorescit, è quo qui gustaverint, immortalitatem consequuntur. Ave, sacrosancte ædificatum, immaculatum, purissimumque Dei summi Regis palatium, ejusdem Dei Regis magnificentia circumornatum, omnesque hospitio recipiens, ac mysticis reficiens deliciis; in quo non manufactus et vario decore nitens situs est spirituālis sponsi thalamus; in quo Verbum errantem humanam stirpem revocare volens, carnem sibi desponsavit, ut eos, qui voluntate propria extorres facti fuerant, Patri reconciliaret.

¶ Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus; Emissiones tuæ Paradīsus, ò Maria. ¶ Aperi mi-

hi, soror mea, amica mea, colūmba mea, immaculata mea. Emissiones tuæ.

Lectio viii.

Ave Dei mons præpinguis et umbrosus in quo enutritus agnus rationalis peccata atque infirmitates nostras portavit: mons, è quo devolutus ille, nulla manu præcisus lapis, contrivit aras idolorum, et factus est in caput anguli, mirabilis in oculis nostris. Ave sanctus Dei thronus, divinum donarium, domus gloriæ, perpulchrum ornamentum, cimelium electum, et totius orbis propitiatorium, cælumque Dei gloriā enarrans. Ave urna ex puro auro conflata, et suavissimam animarum nostrarum dulcedinem, Christum scilicet, qui manna est, continens. O purissima Virgo Deo dicatum donarium omni creaturarum conditioni præcellens, terra non secta, inaratus ager, vitis floridissima, fons aquas effundens, virgo generans; et mater viri nescia, innocentiae thesaurus abscon-

ditus, et sanctimóniæ decus; acceptíssimis tuis ac matræ auctoritatè válidis précibus ad Dóminum ac Deum ómnium conditórem Filium tuum ex te sine patre génitum, ecclesiástici órdis gubernácula fac dírigas, et ad portum tranquillum perdúcas.

**¶** Magnificat ánima mea Dóminum; Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ✠. Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quia fecit. Glória Patri. Quia fecit mihi.

**Lectio ix.**

Sacerdótes justítia, et probátæ, immaculatæ ac sincéræ fidei exsultatióne splendidíssimè indúito. Orthodoxis Princípibus, qui præ omni púrpuræ aut auri splendóre, et præ margarítis ac lapidibus pretiósís, te nacti sunt diadémæ et indumentum ac firmíssimum regni sui ornaméntum, in tranquillo ac próspéro statu scepra dírige. Male fidas natiónes in te ac Deum ex te géni-

tum blasphemántes, eórum pédibus sternens subjícito: subjectúmque pópulum, ut secúndum Dei præcéptum in suavi obediéntiæ obséquio perseveret, confirmáto. Tuam hanc civitátem, quæ te tanquam turrim ac fundaméntum habet, victóriæ triumphis coronáto, et fortitúdine circumcingens custodíto Dei habitatióne, templi decórem semper conserváto; laudatóres tuos ab omni discrimine et ánimi angóre éxime; captívis redemptióne tribúito; peregrinis tecto, et quovis præsidio destitútis, solámen te éxhibe. Univérso mundo auxiliatricem manum tuam pórrige, ut in lætítia et exsultatióne solemnitátes tuas simul cum ista, quam modò celebrámus, festivitáte splendidíssimo éxitu transigámus, in Christo Jesu universórum Rege ac vero Deo nostro, cui glória et fortitúdo una cum Sancto vitæque princípío Patre, et coæténo et consubstantiáli et conregnánte Spíritu, nunc

et semper et in sæcula  
sæculórum. Amen.

Te Deum.

AD LAUDES ET PER HORAS.

**Ant.** Tota pulchra es,  
Maria, et mácula Originá-  
lis non est in te. **Psal-**  
**mus,** Dóminus regnâvit...  
**cum reliq. de Domin. An-**  
**ti-ph.** Vestiméntum tuum  
cándidum quasi nix, et  
fácies tua sicut sol. **Ant.** Tu  
glória Jerúsalem, tu lætí-  
tia Israël, tu honorificéntia  
pópuli nostri. **Ant.** Bene-  
dicta es tu, Virgo Maria, à  
Dómino Deo excélso præ  
ómnibus muliéribus super  
terram. **Ant.** Trahe nos,  
Virgo immaculáta, post te  
currémus in odórem un-  
guentórum tuórum.

**Capitulum.** *Prov. 8.*  
Dóminus possédit me in  
initio viárum suárum, án-  
tequam quidquam fáceret  
à principio. Ab ætérno  
ordináta sum; et ex anti-  
quis ántequam terra fieret.  
Nondum erant abyssi et  
ego jam concépta eram.

**Hymnus.**

**O** gloriósa vírginum  
Sublímis inter sídera,  
Qui te creávit, párvulum

Lacténte nutris úbere.  
Quod Heva tristis ábstulit,  
Tu reddis almo gérmine,  
Intrent ut astra flébiles:  
Cæli reclúdis cárdines.  
Tu Regis alti jánuá,  
Et aula lucis fúlgida:  
Vitám datam per Vir-  
ginem,  
Gentes redéptæ, pláu-  
dite.

Jesu, tibi sit glória,  
Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre, et almo Spi-  
ritu  
In sempitérna sæcula.  
Amen.

✠. Immaculáta Con-  
cèptio est hódie Sanctæ  
Mariæ Virginis. **ñ.** Quæ  
serpéntis caput virgíneo  
pede contrivit.

**Ad Benedictus, Anti-**  
**phona.** Ait Dóminus Deus  
ad serpéntem: inimicitias  
ponam inter te et mulie-  
rem, et semen tuum et se-  
men illius: ipsa cónteret  
caput tuum. Alleluía.

**Oratio.**

**D**eus, qui per Imma-  
culátam Virginis Conce-  
ptiónem dignum Filio tuo  
habitáculum præparásti;  
quæsumus, ut qui ex morte

ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quóque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúmdem Dóminum.

**Ad Primam, in n̄. br.**  
**dicitur** *ŷ.* Qui natus es de Maria Virgine, **etiam per totam Octavam.**

**Ad Tertiam, Ant.** Vestiméntum tuum.

**Capitulum ut ad Laudes.**

**n̄. br.** Deus omnipotens. Præcínxit me virtúte. Deus omnipotens. *ŷ.* Et pósuit immaculátam viam meam. Præcínxit. Glória Patri. Deus omnipotens. *ŷ.* In hoc cognóvi quóniam voluísti me. *n̄.* Quóniam non gaudébit inimicus meus super me.

**Ad Sextam, Ant.** Tu glória Jerúsalem.

**Capitul.** *Ezech. 44.*  
**P**orta hæc clausa erit, non aperiétur, et vir non intrábit per eam; quóniam Dóminus Deus Israel ingressus est per eam: eritque clausa Príncipi. Príncipe ipse sedébit in ea.

**n̄. br.** In hoc cognóvi. Quóniam voluísti me. In

hoc cognóvi. *ŷ.* Quóniam non gaudébit inimicus meus super me. Quóniam voluísti. Glória Patri. In hoc cognóvi. *ŷ.* Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepisti me. *n̄.* Nec delectásti inimicos meos super me.

**Ad Nonam, Ant.** Trahe nos.

**Capitul.** *Apoc. 12.*  
**S**ignum magnum apparuit in cælo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

**n̄. brev.** Exaltábo te, Dómine. Quóniam suscepisti me. Exaltábo. *ŷ.* Nec delectásti inimicos meos super me. Quóniam. Glória Patri. Exaltábo. *ŷ.* Immaculáta Concéptio tua, Dei Génitrix virgo. *n̄.* Gáudium annuntiávit univérso mundo.

**In II. Vesp. omnia ut in primis.**

**Ad Magnificat, Antiphona.** Hódiè egréssa est virga de radíce Jesse: hódiè sine ulla peccáti labe concépta est María: hódiè contritum est ab ea caput

serpéntis antiqui. Alle-  
lúia.

*Et fit commemorat. Fe-  
riæ. In officio votivo per  
annum (ubi concessum est)  
omissa Antiphona præce-  
denti, dicatur sequens.*

*Ad Magnificat, Anti-  
phona.* Sancta Maria suc-  
curre miseris, iuva pusil-  
lânimes, réove flébiles,  
ora pro pópulo, intéveni  
pro Clero, intercède pro  
devóto læmineo sexu: sen-  
tiant omnes tuum juvâmen  
quicúmque célebrant tuam  
sanctam Immaculatam  
Conceptionem.

**DIE IX. DECEMBRIS.**

*Secunda die infr. Octavam  
Immaculatæ Conceptionis  
B. M. V.*

*Omnia ut in Festo,  
præter lectiones, quæ di-  
cuntur ut infra.*

**IN I. NOCTURNO.**

*Lectiones de Scriptura  
occurrente.*

**IN II. NOCTURNO.**

*Ex Bulla Dogmatica Pii  
Papæ Noni.*

**Lectio iv.**

**I**neffabilis Deus, cujus  
viæ misericórdia et véri-  
tas, cujus volúntas omni-

poténtia, et cujus sapiéntia  
attingit à fine usque ad  
finem fórtiter, et dispónit  
ómnia suávitè, cùm ab  
omni æternitate præviderit  
luctuosissimam totius hu-  
máni géneris ruínam ex  
Adámi transgressióne de-  
rivândam, atque in my-  
stério à sæculis abscon-  
dito primum suæ bonitátis  
opus decreverit per Verbi  
incarnatióem sacraménto  
ocultióre complère, ut  
contra miséricors suum  
propósitum homo diabóli-  
cæ iniquitátis versútia a-  
ctus in culpam non perí-  
ret, et quod in primo Adá-  
mo casúrum erat, in se-  
cúndo felicius erigerétur,  
ab initio et ante sæcula  
Unigénito Filio suo Ma-  
trem, ex qua caro factus  
in beáta témporum pleni-  
túdine nascerétur, elégit  
atque ordinávit, tantóque  
præ creatúris univérsis est  
prosequútus amóre, ut in  
illa una sibi propensíssima  
voluntáte complacuerit.

**ñ.** Ego ex ore Altissimi.

**Lectio v.**

**Q**uaprópter illam longè  
ante omnes angélicos spi-

ritus, cunctosque Sanctos cœlestium omnium charismatum cōpia de thesauro Divinitatis deprōpta ita mirificè cumulāvit, ut Ipsa ab omni prorsus peccāti labe semper libera, ac tota pulchra et perfectā eam innocentīæ et sanctitatis plenitudinem præ se ferret, qua major sub Deo nullatenus intelligitur, et quam præter Deum nemo assequi cogitādo potest. Et quidem decebat omnino, ut perfectissimæ sanctitatis splendōribus semper ornata fulgēret, ac vel ab ipsa originālis culpæ labe plane immūnis amplissimum de antiquo serpente triūmphantem referret tam venerabilis mater, cui Deus Pater unicūm Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi gēnitum, tanquam seipsum diligit, ita dare dispōsuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius.

¶ Nihil inquinatum.

**Lectio vi.**

Quam originālem augustæ Virginis innocentiam

cum admirabili ejusdem sanctitate præcelsaque Dei Matris dignitate omnino cohærentem catholica Ecclesia, quæ à Sancto semper edocta Spiritu columna est ac firmamentum veritatis, tamquam doctrinam possidens divinitus acceptam, et cœlestis revelationis deposito comprehensam multiplici continenter ratione, splendidisque factis magis in dies explicare, proponere ac fovere nunquam destitit. Hanc enim doctrinam ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et sacrōrum Antistitum curis studiisque per catholicum orbem mirificè propagatam, ipsa Ecclesia luculentissimè significavit, cum ejusdem Virginis Conceptionem pūblico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit. Quo illustri quidem facto ipsius Virginis Conceptionem veluti singularem, miram et à reliquorum hominum primordiis longissimè secretam, et omni-

nò sanctam colendam exhibuit, cùm Ecclesia non nisi de Sanctis dies festos concélebrat.

¶ Signum magnum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

**Lectio vii.** Cap. 1.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam Viro cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Sophronii Ep.

*Homilia in Deiparæ*

*Annuntiat.*

Quid missus beatus ille Angelus ad Virginem integerrimam dicit? Aut quomodo faustissimum hoc nuntium ipsi defert? Ave gratiâ plena, Dominus tecum. A gaudio incipit eam alloqui ille gaudii nuntius. Noverat enim et planè sciebat, nuntium illud suum universis hominibus atque omnibus pariter creaturis gaudium parare, et quoslibet à qui-

buscumque dolores expellere; noverat ex divina hujus mysterii cognitione mundum lumine collustrari; noverat, erroris disijci caliginem; noverat, re-tundi mortis aculeum; noverat, vim corruptionis infringi; noverat, inferno victoriam auferri; noverat salutem perditio affulgere homini, qui horum malorum jugo jamdiu premebatur, ex quo scilicet à paradisi deliciis expulsus et à beato illo domicilio ejectus fuerat. Propterea legationis suæ exordium à gaudio ducit; propterea sermonibus suis gaudii voces præmittit; propterea faustis hisce nuntiis gaudium antecedit, utpote quæ omnibus credentibus gaudio futura erant.

¶ Hortus conclusus.

**Lectio viii.**

Et sanè par omnino erat, ut divina gaudii denuntiatio à sermonibus verbisque gaudium elicientibus sumeret initium. Propterea enim et Angelus gaudium ante omnia renuntiat, quia faustæ legationis suæ non

ignórat éxítum , ac probè novit collóquium quod habebátur , in totíus mundi gáudium manífestè esse cessúrum. Et profectò quodnam gáudium , aut quænam reperiri potest jucúnditas , quam non longè excédât allóquium ad Virgínam illam beátam ac gáudii paréntem hábitum? Gaude , ò super cœléstis gáudii Génitrix. Gaude , ò sublimíssimi gáudii nutritrix. Gaude , ò salutáris gáudii sedes princeps. Gaude , ò immortalís gáudii auctrix. Gaude , infábilis gáudii mysticum diversórium. Gaude , ò indeficiéntis gáudii fons beatíssime. Gaude , ò gáudii ætérni deíferum cimélium. Gaude , ò vivificántis gáudii arbor virentíssima. Gaude , ò innúpta Dei mater. Gaude , ò Virgo post partum integérrima. Gaude , ò spectáculum præ mirabilibus ómnibus summè admirándum.

¶ Magnificat ánima.

**Lectio ix.**

Quisnam tuum éloqui splendórem póterit? Quis-

nam porténtum , quod ipsa es , enarráre verbis áudeat? Quisnam magnificéntiam tuam effári se posse confidet? Tu hóminum exornásti natúram; tu Angelórum órdenes superásti; tu fulgóres Archangelórum obtenebrásti; tu sublimes Thronórum sedes infra te ostendísti; tu altitúdinem Doinatiónum depressísti; tu Principátuum ducátibus præcucurrísti; tu enervásti fortitúdinem Potestátum; tu ipsis Virtútibus poténtior virtus prodiísti; tu Chérubim oculatíssimum visum terréstribus óculis vicísti; tu Séraphim sex alas habéntium volátus ánimæ pennis divínitus agitátis transvolásti; tu denique omnem creatúram longè transgréssa es; quippe quæ præ omni creatúra enitúisti puritáte; et ómnium creaturárum conditórem in te excepísti; ipsúmque et sinu tuo gestásti , et genuísti; et sola ex ómnibus creatúris Dei mater effécta es.

Te Deum.

**In Laud. fit comm. Fer.**

Die sequenti X. Decembris ubi celebratur festum Translationis Almæ Domus Lauretanæ B. M. V. omittitur Comm. Octavæ in utrisque Vesp. et Laud.

Secus fit de tertia die infra Octavam.

**DIE X. DECEMBRIS.**

Tertia die infra Octavam Immac. Concep. B. M. V.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

*Ex Bulla Dogmatica Pii Papæ Noni.*

**Lectio iv.**

Ipsissima verba, quibus divinæ Scripturæ de increata Sapiëntia loquuntur, ejusque sempiternas origines repræsentant, consuëvit (Ecclesiæ) tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta Liturgia adhibere, et ad illius Virginis primordia transferre, quæ uno eodemque decreto cum divinæ Sapiëntiæ incarnatione fuerant præstituta. Quamvis autem hæc omnia penes fideles ubique prope recepta ostendant, quo stú-

dio ejusmodi de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam ipsa quoque Romana Ecclesiæ omniū Ecclesiarum mater et magistra fuerit prosequuta, tamen illustria hujus Ecclesiæ facta digna plane sunt quæ nominatim recenseantur, cum tanta sit ejusdem Ecclesiæ dignitas atque auctoritas, quanta illi omninò debetur, quæ est catholice veritatis et unitatis centrum, in qua sola inviolabiliter fuit custodita Religio, et ex qua traducem fidei reliquæ omnes Ecclesiæ mutuëntur oportet.

ñ. Ego ex ore Altissimi prodivi.

**Lectio v.**

Itaque eadem Romana Ecclesiæ nihil potius habuit, quam eloquentissimis quibusque modis Immaculatam Virginis Conceptionem, ejusque cultum et doctrinam assérere, tueri, promovère et vindicare. Enim vero Prædecessores Nostri vehemèter gloriati sunt Apostolica sua auctoritate Festum Conceptionis

in Romána Ecclesiá institúere, ac próprio Officio, própriaque Missa, quibus prærogatíva immunitátis ab hæreditária labe manifestíssimè asserebátur, augére, honestáre et cultum jam institútum omni ope promovére, amplificáre, sive orogátis indulgéntiis, sive facultáte tribúta civitatibus, provinciis regnisque, ut Deíparam sub título Immaculátæ Conceptionis patrónam sibi deligerent, sive comprobátis Sodalitatibus, Congregationibus, Religiosisque Familiis ad Immaculátæ Conceptionis honórem institútis sive láudibus eórum pietáti delátis, qui monastéria, xenodóchia, altária, templa sub Immaculáti Concéptus título eréxerint, aut sacraménti religióne interpósita Immaculátam Deíparæ Conceptionem strénuè propugnáre spondérint.

*R.* Nihil inquinátum.

*Lectio vi.*

**I**nsuper summóperè lætáti

sunt decérnere Conceptionis Festum ab omni Ecclesiá esse habéndum eodem censu ac número quo Festum Nativitátis, idémque Conceptionis Festum cum octáva ab univérsa Ecclesiá celebrándum, et ab ómnibus inter ea quæ præcépta sunt, sanctè coléndum, ac Pontificiam Cappéllam in Patriarcháli Nostra Liberiána Basilica die Virginis Conceptionis sacro quotánnis esse peragéndam. Atque exoptántes in fidélium ánimis quotidíè magis fovére hanc de Immaculáta Deíparæ Conceptione doctrinam, eorúmque pietátem excitáre ad ipsam Virginem sine labe origináli concéptam coléndam et venerándam, gavísi sunt quam libentíssime facultátem tribúere, ut in Lauretánis Litániis, et in ipsa Missæ Præfatione Immaculátus ejúsdem Virginis proclamaretur Concéptus, atque ádeo lex credéndi ipsa supplicándi lege statueretur.

*R.* Signum magnum apparuit.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii  
secundum Lucam.*Lectio vii. Cap. 1.*

**I**n illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi  
Abbátis.*Ex Homilia II. super  
Missus.*

**L**ætare, pater Adam, sed magis tu, ò Eva mater, exsulta qui sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores; et quod infelicus est, prius peremptores quam parentes. Ambo, inquam, consolamini super filia, et tali filia; sed illa amplius de qua malum ortum est prius, cuius opprobrium in omnes pertransivit mulieres. Instat namque tempus, quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid causetur adversus feminam; qui utique, dum

se imprudenter excusare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est, dicens: Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno et comedi. Propterea curre, Eva, ad Mariam; curre mater ad filiam; filia pro matre respondeat: ipsa matris opprobrium auferat; ipsa patri pro matre satisficiat: quia ecce si vir cecidit per feminam, jam non erigitur nisi per feminam.

*¶ Hortus conclusus.**Lectio viii.*

**Q**uid dicebas, ò Adam? Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi. Verba malitiæ sunt hæc quibus magis augeas quam deleas culpam. Verumtamen Sapiëntia vicit malitiam, cum occasionem veniæ, quam à te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis invenit. Redditur nempe femina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba, quæ pro ligno mortis gustum

tibi pórrigat vitæ , et pro venenóso cibo illo amaritúdinis , dulcédinem páriat fructûs æterni. Muta ergo iniquæ excusatiónis verbum in vocem gratiárum actiúnis , et dic : Dómine , múlier . quam dedisti mihi dedit mihi de ligno vitæ , et comédi ; et dulce factum est super mel ori meo , quia in ipso vivificásti me. Ecce enim ad hoc missus est Angelus ad Virgínam . O fœminam singulariter venerándam , super omnes fœminas admirábilem , paréntum reparatricem , posterórum vivificatricem .

**M.** Magnificat ánima.

**Lectio ix.**

Quam tibi áliam prædixisse Deus vidétur , quando ad Serpéntem ait : Inimicitias ponam inter te et mulierem ? Et si adhuc dubitas , quod de María dixerit , audi quod séquitur : ipsa cónteret caput tuum . Cui hæc servata victória est , nisi Mariæ ? Ipsa procul dubio caput contrivit venenátum , quæ omnímodam suggestiúnem tam de

carnis illécebra , quam de mentis supérbia dedúxit ad nihilum . Quam verò áliam Sálomon requirébat , cùm dicebat : Mulierem fortem quis invéniet ? Nóverat quippe vir sápiens hujus sexûs infirmitátem , frágitale corpus , lúbriacam mentem . Quia tamen et Deum légerat promississe , et ità credebát congrúere , ut qui vícerat per fœminam , vincerétur per ipsam , veheménter admirans ajébat : Mulierem fortem quis invéniet ? Quod est dicere : si ità de manu fœminæ pendet et nostra ómnium salus , et innocétiæ restitúlio , et de hoste victória : fortis omnínò necesse est ut provideátur , quæ ad tantum opus possit esse idónea .

Te Deum .

**In Laudibus fit Commemoratio Feriæ .**

**Vesperæ de S. Damaso Papa et Confessore cum Comm. Oct. et Fer.**

**DIE XI. DECEMBRIS.**

**Officio et Missæ S. Damasi P. C. addatur Commemoratio Immaculatæ Conceptionis , et Feriæ .**

DIE XII. DECEMBRIS.  
**Quinta Die infra Octavam  
 Immaculatæ Conceptionis  
 B. M. V.**

IN I. NOCTURNO.

**Lectiones de Scriptura  
 occurrente.**

IN II. NOCTURNO.

*Ex Bulla Dogmatica Pii  
 Papæ Noni.*

**Lectio iv.**

Quóniam quæ ad cultum pertinent, intimo planè vinculo cum ejúsdem objecto conserta sunt, neque rata et fixa manere possunt si illud anceps sit et in ambiguo versetur, idcirco Decéssores Nostri Románi Pontífices omni curâ Conceptionis cultum amplificantes, illius étiam objectum ac doctrinam declarare, et inculcare impensissimè studuerunt. Et enim clarè apertèque docuere, festum agi de Virginis Conceptione, atque uti falsam et ab Ecclesiæ mente alienissimam proscripserunt illórum opinió- nem qui non Conceptionem ipsam, sed sanctificatió-

nem ab Ecclesiá coli arbitraréntur et affirmárent.

¶ Ego ex ore Altissimi.

**Lectio v.**

Neque mitius cum iis agendum esse existimá- runt, qui ad labefactándam de Immaculatá Virginis Conceptione doctrinam, excogitato inter primum atque álterum Conceptionis instans et moméntum discrimine, asserébant, celebrári quidem Conceptionem, sed non pro primo instánti atque moménto. Ipsi namque Prædecessóres Nostri suárum pártium esse duxérunt, et beatíssimæ Virginis Conceptionis Festum, et Conceptionem pro primo instánti tanquam verum cultús objectum omni stúdio tuere ac propugnare. Hinc decretória planè verba, quibus Alexánder Séptimus Decéssor Noster sinceram Ecclesiæ mentem declarávit, in- quiens: Sanè vetus est Christi fidélium erga ejus beatíssimam Matrem Virgí- nem Mariám pietas sen-

tiéntium, ejus ánimam in primo instanti creatiónis atque infusiónis in corpus fuisse speciáli Dei grátia et privilégio, intúitu meritórum Jesu Christi ejus Filii húmáni géneris Redemptóris, à mácula peccáti originális præservátam inmúnem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitátem solénni ritu coléntium et celebrántium.

¶. Nihil inquinátum.

**Lectio vi.**

Atque illud in primis solénnè quoque fuit iisdem Decessóribus Nostris doctrinam de Immaculáta Dei Matris Conceptione sartam tectámque omni curá, stúdio et contentióne tñeri. Etenim non solum nullatenus passi sunt, ipsam doctrinam quóvis modo à quópiam notári atque traduci, verum étiam longè ultérius progressi, perspicuis declarationibus iteratisque vicibus edixerunt: Doctrinam qua Immaculátam Virginis Conceptionem profitemur, esse, suóque mérito habéri cum Ecclesiástico cultu planè cónsonam,

éamque véterem, ac propè universálem et ejusmodi, quam Romána Ecclesia sibi fovéndam tuendámque suscepit, atque omninò digna, quæ in sacra ipsa Litúrgia, solemnioribusque précibus usurparétur. Neque his contenti, ut ipsa de Immaculáto Virginis Concéptu doctrína invioláta persisteret, opiniónem huic doctrinæ advérsam, sive públice sive privátim, defendi posse severíssimè prohibuère, éamque múltiplici véluti vulnere confectam esse voluérunt.

¶. Signum magnum.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

**Lectio vii. Cap. 1.**

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel à Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Virginem desponsátam Viro cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Virginis María. Et reliqua.  
Homília S. Tharásii Ep.  
*De Præsentatione Dei-  
paræ.*

Quibus te láudibus cu-

mulábitus, María? O puella immaculáta; ò virgo impollúta; ò mulierum ornámentum, filiárum nitor! O mater Virgo Sancta, tu benedicta inter mulieres; tu celebráta propter innocentiam; tu obsignáta virginitáte. Tu Adámi maledicti expiatio; tu débiti Evæ solútió. Tu Abélis purissima oblátio; primogenitorum deléctus, immaculátum sacrificium. Tu Enos in Deum spes non pudóre suffúsa; tu Enoch iníta grátia, et in secúram vitam migratio. Tu Noe arca, et secúndæ generatiónis apud Deum conciliatio. Tu regni et Sacerdotii Melchisedech perillústris splendor; tu Abrahámi firma fidúcia et promissiónis futúrá posteritátis óbsequens fides. Tu Isaac novum Sacrificium et rationále holocáustum, tu Jacob in scalam ascénsus causa, et sæcunditátis in duódecim tribus permanentis espréssio nobilissima. Tu Judæ apparuisti secúndum stirpem filia; tu Joséphi pudicitia et véte-

ris Ægypti nimirum Synagógæ Judæorum everésio. ò Immaculáta! Tu Moysis ejusdemque Legislatóris liber divinitus concinnátus, in quo scriptum est sacraméntum regeneratiónis, et divinis digitis insculpta in tábulis lex est tamquam in monte Syna, ubi novus Israel ab intelligibilium Ægyptiórum servitúte vindicabitur, quemádmódu antiqúus pópulus in solitúdi-  
ne manná et aquá de petra satiátus est, petra autem erat Christus è tuo grémio proditúrus tamquam Sponsus de thálamo. Tu Aarónis virga floréscens; tu es Davidis filia fimbriis áureis circumvestita vário ornátu nitéscens.

¶ Hortus conclusus.

### Lectio viii.

**T**ues Prophetárum spéculum, et rerum ab illis prænuntiatarum éxitus. Te enixè Ezéchiél vaticinans appellávit portam clausam, per quam nemo hóminum umquam transibit nisi Dóminus Deus solus, et por-

tam clausam conservabit. Te Isaias ille in primis grandiloquus prænuntiat virgam Jesse, ex quo flos Christus oriétur, et frutibus vitiorum extirpatis radicitus, plantas divinæ cognitionis in agro inseret. Te Jeremias præmonstravit inquam: Ecce dies venient, dicit Dominus, et seriam domui Israël et domui Judæ sædus novum; quod constitui cum patribus eorum, ita significans adventum ortumque Filii tui, et populum gentium vocans ad Deum adorandum inde usque à finibus terræ. Te etiam Daniel vir desideriorum proclamavit montem ingentem, è quo Christus lapis angularis abscindetur, et simulacrum multiformis serpentis ruina atque exitio dissipabit. Te honoro agnam immaculatam, te prædico gratiâ plenam, te cano Dei habitacionem puram et immaculatam. Et sanè ubi abundavit delictum, superabundabit gratia. Per mulierem mortem lucrati sumus, per mulierem uni-

versa ipse rursus instaurabit. Per serpentem cibum accepimus amari saporis, per ipsum verò rursus vescemur cibo immortalitatis. Prima parens Eva Cainum in lucem edidit invidiae et nequitiae principem; unigenitus Filius tuus erit primogenitus vitæ et resurrectionis. O inauditum prodigium! O admirandam novitatem! O Sapiéntiam nullis verbis coæquandam!

ñ. Magnificat.

**Lectio ix.**

Nos autem populus Dei, gens sancta, congregatio acceptabilis, filii columbæ, soboles gratiæ in hac Virginis celebritate puris animis, impollutis labiis, multisonis linguis hymnos suavidos extollamus. Illustre hoc festum, principem solemnitatem angelis lætam et hominum prædicatione dignissimam prouti par est venerantes illud Ave Gabriëlis cum reverentia et gaudio sancto conclamemus. Ave delictum Patris, per quam ad ultimos terræ fines Dei co-

gnitio manávit. Ave Filii  
domicilium, de qua ille  
carne indútus prodívit.  
Ave Sancti Spíritus habi-  
táculum ineffábile. Ave  
sánctior Chérubim; ave  
gloriosior Séraphim; ave  
cælo látior; ave sole splen-  
didior; ave luna micán-  
tior; ave múltiplex astró-  
rum nitor; ave levis nu-  
bes, quæ cœlestem plú-  
viam inspérgis. Ave aura  
sancta, quæ spiritum ma-  
litiæ à terra dissipásti.  
Ave nóbile præcónium  
Prophetárum; ave Apo-  
stolorum auditus per totum  
orbem sonus; ave Márty-  
rum excéllens conféssio;  
ave Patriarchárum lauda-  
tíssima prædicátio; ave  
Sanctorum summum orna-  
méntum. Ave causa salutis  
ómnium mortálium; ave  
regina pacis conciliátrix;  
ave matrum splendor im-  
maculátus. Ave mediá-  
trix ómnium, qui sub cœ-  
lo sunt; ave totius orbis  
reparátio; ave gratiá plea,  
Dóminus tecum, qui  
ante te, ex te, et nobis-  
cum. Ipsi laus cum Patre  
et sanctíssimo et vivífico

Spiritu, nunc et semper,  
et in infinita sæcula sæcu-  
lorum. Amen.

Te Deum.

**In Laud. comm. Feria.  
Vesp. de S. Lucia V. M.  
cum Comm. Oct. et Fer.**

**DIE XIII. DECEMBRIS.**

**Officio et Missæ S. Lu-  
ciæ Virginis et Martyris,  
addantur Commemoratio-  
nes Immaculatæ Conce-  
ptionis et Feriæ.**

**DIE XIV. DECEMBRIS.**

**Septima die infra Octavam  
Immaculatæ Conceptionis  
B. M. V.**

**IN I. NOCTURNO.**

**Lect. de Scriptura occ.**

**Si autem hac die occur-  
rat Feria IV Quatuor Tem-  
porum, Lectiones primi  
Nocturni leguntur de Pa-  
rabolis Salomonis Ego  
Sapiéntia, ut in Breviario  
hac die, seu ut in Festis  
Beatæ M. V. per annum.**

**IN II. NOCTURNO.**

**Ex Bul. Dogm. Pii P. IX.**

**Lectio iv.**

**O**mnes norunt quanto

stúdio hæc de Immaculáta Deíparæ Virginitatis Conceptione doctrina à spectatissimis Religiosis Familiis et celebrioribus Theologis, Academiis, ac præstantissimis divinârum rerum, scientiâ Doctôribus fuerit tradita, asserta ac propugnata. Omnes pariter norunt quantopere solliciti fuerint Sacrorum Antistites vel in ipsis ecclesiasticis conventibus palam publicèque profiteri, sanctissimam Dei Genitricem Virginitatem Mariam ob prævisa Christi Dômini Redemptoris mèrita nunquam originali subjacuisse peccato, sed præservatam omnino fuisse ab originis labe, et ideo sublimiori modo redemptam. Quibus illud profecto gravissimum et omnino maximum accedit, ipsam quoque Tridentinam Synodum, cum dogmaticum de peccato originali ederet decretum, quo juxta sacrarum Scripturarum sanctorumque Patrum ac probatissimorum Conciliorum testimonia, statuit ac definivit: Omnes homines

nasci originali culpa infectos; tamen solemniter declarasse: Non esse suæ intentionis, in decreto ipso tantaque definitionis amplitudine comprehendere beatam et Immaculatam Virginitatem Dei Genitricem Mariam. Hac enim declaratione Tridentini Patres, ipsam beatissimam Virginitatem ab originali labe solutam, pro rerum temporumque adjunctis, satis innuerunt, atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis Literis, nihil ex traditione, Patrumque auctoritate rite afferri posse, quod tantæ Virginitatis prærogativæ quovis modo refragetur.

¶. Ego ex ore Altissimi.

#### Lectio v.

**E**t re quidem vera hanc de Immaculata beatissimæ Virginitatis Conceptione doctrinam quotidie magis gravissimo Ecclesiæ sensu, magisterio, studio, scientia ac sapientia tam splendidè explicatam, declaratam, confirmatam et apud omnes catholici orbis pò-

pulos ac nationes mirandum in modum propagatam, in ipsa Ecclesia semper extitisse veluti à majoribus acceptam, ac revelatæ doctrinæ caractere insignitam, illustria venerandæ antiquitatis Ecclesiæ Orientalis et Occidentalis monumenta validissimè testantur. Equidem Patres Ecclesiæque Scriptores, cœlestibus edocti eloquiis, nihil antiquius habuere, quam in libris ad explicandas Scripturas, vindicanda dogmata, erudiendosque fideles elucubratis, summam Virginis sanctitatem, dignitatem, atque ab omni peccati labe integritatem, ejusdem præclaram de teterrimo humani generis hoste victoriam, multis mirisque modis certatim prædicare atque efferre.

℞. Nihil inquinatum.

**Lectio vi.**

Quapropter enarrantes verba, quibus Deus præparata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia inter ipsa mundi primordia prænuntians; et dece-

ptoris serpentis retulit audaciam et nostri generis spem mirificè erexit iniquiens: Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius, docuere: divino hoc oraculo clarè apertèque demonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Unigenitum Dei Filium Christum Jesum ac designatam beatissimam Ejus Matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas. Quocirca sicut Christus Dei hominumque mediator, humana assumpta natura, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, sic sanctissima Virgo, arctissimo et indissolubili vinculo cum Eo conjuncta, una cum Illo, et per Illum, sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens ac de ipso plenissimè triumphans, illius caput immaculato pede contrivit.

℞. Signum magnum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii.  
secundum Lucam.

**Lectio vii.** *Cap. 1.*  
In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam Viro cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia sancti Sophronii  
Episcopi.

*Homilia in Deiparæ  
Annuntiat.*

Verè benedicta tu in mulieribus, quoniam Evæ maledictionem in benedictionem commutasti; quoniam Adam, qui prius jacébat execratione percussus, ut per te benediceretur effecisti. Verè benedicta tu in mulieribus, quoniam benedictio Patris per te affulsit hominibus, eosque à veteri maledicto liberavit. Verè benedicta tu in mulieribus, quia per te progenitores tui salutem inveniunt; tu siquidem

genitura es Servatorem, qui divinam ipsis salutem comparabit. Verè benedicta tu in mulieribus, quoniam sine semine eum protulisti fructum, qui benedictionem terrarum orbi elargitur, ipsumque à maledictione spinas germinante redimit. Verè benedicta tu in mulieribus, quia mulier naturali conditione cum sis, Dei tamen Genitrix reipsa fies. Etenim si qui ex te nasciturus est secundum veritatem Deus est incarnatus, ipsa jure meritoque diceris Deipara, quippe quæ Deum verissime paris.

¶ Hortus conclusus.

**Lectio viii.**

Ne timeas, Maria, invenisti enim apud Deum gratiam perire nesciam; invenisti apud Deum gratiam præ qualibet eximiam; invenisti apud Deum gratiam omnibus votis expetendam; invenisti apud Deum gratiam omnium gratiarum splendidissimam; invenisti apud Deum gratiam nunquam elanguen-

tem; invenisti apud Deum grátiam quæ te salvam præstet; invenisti apud Deum grátiam, quæ nullo impetu quatiatur; invenisti apud Deum grátiam plenè invictam; invenisti apud Deum grátiam peréniter duratúram. Et álíi quidem, iique plures ante te eximia sanctitate floruerunt. Sed nēmini, quemádmódu tibi, plena grátia impertita est, nemo sicut tu, ad tantum magnificentiæ est evectus: nemo, sicut tu, purificante grátia præoccupatus est; nemo, sicut tu, cælesti lumine refulsit; nemo sicut tu, præ omni celsitudine exaltatus est.

¶ Magnificat ánima.

### Lectio ix.

**E**t méritò quidem; nemo enim, sicut tu ad Deum tam propè accessit; nemo, sicut tu, Dei donis ditatus est; nemo, sicut tu, Dei grátia particeps fuit. Omnia vincis, quæcúmque inter hómínes emineant; omnia súperas múnera,

quæ effúsa à Dei largitate in quóslibet dimanáverint. Plus enim ómnibus inhabitantis Dei possessióne ditescis. Nemo sic in se Deum complécti pótuit; nemo potuit sic frui Dei præsentia; nemo dignus est hábitus, qui sic per Deum illuminarétur; ac propterea non modo Deum ómnium Condítorem ac Dóminum in te excepisti, sed eum habens ex te ineffabiliter incarnatum, atque in útero tuo gestatum, et post hæc génitum, et universos hómínes à paterna condemnatióne redimétem, ac salutem, quæ nullum finem habitúra sit, ipsis elargiétem. Et propterea tibi clamávi, atque iterum veheméter clamábo: Ave grátia plena Dóminus tecum; benedicta tu in muliéribus.

Te Deum.

**DIE XV. DECEMBRIS.**

**In Octava Immaculatae  
Concept. B. M. V.  
Duplex.**

**Omnia ut in festo præter ea quæ sequuntur.**

IN II. NOCTURNO.

*Ex Bulla Dogmatica Pii  
Papæ Nóni.*

**Lectio iv.**

**A**b antiquis temporibus Sacrorum Antistites, Ecclesiastici viri, Regulares Ordines ac vel ipsi Imperatores et Reges ab hac Apostolica Sede enixè efflagitarunt, ut Immaculata sanctissimæ Dei Genitricis Conceptio véluti catholice fidei dogma definirétur. Quæ postulatiões hac nostra quoque ætate iteratæ fuerunt, ac potissimum felicis recordatiõnis Gregorio decimo-sexto Prædecessori Nostro, ac Nobis ipsis oblatae sunt tum ab Episcopis, tum à Clero Sæculari, tum à religiosis Familiis, ac summis Principibus et fidelibus pópulis. Nos itaque singulari animi Nostri gaudio hæc omnia probè noscèntes, ac seriò considerantes, vix dum licet immèriti, arcáno divinæ Providentiæ consilio ad hanc sublimem Petri Cathedralam evecti totius Ec-

clésiæ gubernacula tractanda suscepimus, nihil certè antiquius habuimus, quam pro summa Nostra vel à teneris annis erga sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam veneratiõe, pietate et affèctu ea omnia peragere, quæ adhuc in Ecclesiæ votis esse poterant, ut beatissimæ Virginis honor augetur, ejusque prærogativæ uberiori luce nitèrent.

ñ. Ego ex ore Altissimi.

**Lectio v.**

**I**taque plurimum in Dómino confisi advenisse temporum opportunitatem pro Immaculata sanctissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ Conceptione definienda, quam divina eloquia, veneranda traditio, perpétuus Ecclesiæ sensus, singularis catholicorum Antistitum ac fidelium conspiratio, et insignia Prædecessorum Nostrorum acta, Constitutiones mirificè illústrant atque declárant; rebus ómnibus diligentissimè perpènsis et assiduis fer-

vidisque ad Deum precibus effusis, minimè cunctandum Nobis esse censuimus suprèmo Nostro iudicio Immaculatam ipsius Virginis Conceptionem sancire, definire, atque ita pietissimis catholici Orbis desideriis, Nostræque in ipsam Sanctissimam Virginem pietati satisfacere, ac simul in Ipsa Unigenitum Filium suum Dòminum Nostrum Jesum Christum magis atque magis honorificare, cum in Filium redundet quidquid honoris et laudis in matrem impenditur.

¶. Nihil inquinatum.

**Lectio vi.**

**Q**uare postquam nunquam intermissimus in humilitate et jejúnio privatas Nostras et públicas Ecclesiæ preces Deo Patri per Filium Ejus offerre, ut Spiritus Sancti virtutem Nostram dirigere et confirmare dignaretur implòrato univèrsæ cœlestis Curiaë præsidio: et advocato cum gemitibus Paráclito Spiritu, eoque sic adspirante; ad hono-

rem Sanctæ et individuæ Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Dèiparæ, ad exaltationem Fidei catholicæ et Christianæ Religiónis augmentum, auctoritate Dòmini Nostri Jesu Christi, beatòrum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra declaramus, pronuntiamus et definimus: Doctrinam quæ tenet beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritòrum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originális culpæ labe præservatam immūnem, esse à Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constantèrque credendam. Quapròpter si qui secus ac à Nobis definitum est, quod Deus avèrtat, præsumpserint corde sentire, ii nóverint ac porro sciant se próprio iudicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiæ defecisse.

¶. Signum magnum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii  
secundum Lucam.

**Lectio vii.** *Cap. 1.*

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Epiphanii  
Episcopi.

**Orat. de laud. S. Mariæ  
Deiparæ.**

Quid dicam, aut quid proloquar de præclara et Sancta Virgine? Solo enim Deo excepto cunctis superior extitit; natura formosior est ipsis Cherubim et Seraphim, et omni exercitu Angelico: cui prædicandæ cælestis ac terræna lingua minimè sufficit, imo vero nec Angelorum. O Beata Virgo, columba pura et Sponsa cælestis Maria, cælum, templum, et thronus divinitatis, quæ coruscantem in cælo et in terra

solem habes Christum! Nubes lucida, quæ fulgur de cælo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum. Ave gratiâ plena, Porta Cælorum, de qua in Canticis propheta in decursu orationis planè et apèrtè prolóquitur inclamans: Hortus conclusus soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

**ñ.** Hortus conclusus.

**Lectio viii.**

Virgo est lilium immaculatum, quæ rosam immarcescibilem genuit Christum. O Sancta Deipara, Ovis Immaculata quæ Verbum ex te incarnatum Agnum Christum peperisti! O Virgo Sanctissima quæ exercitus angelorum in stuporem deduxisti! Stupendum est miraculum in cælis, mulier amicta sole, gestans lucem in ulnis: stupendum miraculum in cælis thalamus Virginis habens Filium Dei: stupendum miraculum in cælis, Dominus Angelorum infans Virginis effectus est.

Angeli accusábant Evam, nunc verò Mariam glóriâ prosequúntur, quæ lapsam Evam eréxit, et Adámum è paradiso dejéctum in cælos misit. Ipsa enim est cæli et terræ mediátrix, quæ uniónem naturáliter perégit.

¶. Magnificat ánima.

**Lectio ix.**

**G**rátiâ Sanctæ Virginis est imménsa. Hinc Gábriel in primis salútat Virgínem, dicens: Ave grátiâ plena, quæ es spléndidum cœlum. Ave grátiâ plena, multis virtútibus exornáta Virgo. Ave, grátiâ plena, quæ es urna áurea cónitens manna cœléste. Ave, grátiâ plena, quæ sitiéntes perénis fontis dulcédine sátiat. Ave, Sanctíssima Mater Immaculáta, quæ genuísti Christum, qui est

ante te. Ave púrpora régia, quæ cæli terræque Regem induísti. Ave liber incomprehénsus, quæ Verbum et Filium Patris mundo legéndum exhibuísti.

Te Deum.

**Officium votivum Immaculatæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis quibus locis concessum est à Sancta Sede ritu semiduplici, paucis exceptis, quæ supra adnotata fuerunt, persolvetur ut in Festo. In primo Nocturno Lectiones de Scriptura: in secundo et tertio Nocturno Tempore hiemali ut in ii. die infra Octavam: Tempore verno ut in iii. die infra Octavam: Tempore æstivo ut in v. die infra Octavam: Tempore autumnali ut in vii. die infra Octavam, additis Allelúia, tempore Paschali.**

**MATRITI:**

EX OFFIC. TYPOGRAPHOR. ET BIBLIOPOL. SOCIETATIS

OPERAS DIRIGENTE AUGUST. AVRIAL.

MDCCLXIV.

# CALENDARIO AURIENSE

con las Tablas del cómputo eclesiástico para arreglar  
con mucha facilidad la Cartilla ó directorio del rezo  
del oficio divino en cada un año, así en la santa  
Iglesia Catedral como en todas las demas  
del obispado de Orense.

Impreso por disposicion del Sr. Dean Gobernador eclesiástico  
del mismo obispado *SEDE VACANTE.*



ORENSE:

---

OFICINA DE D. JUAN MARÍA DE PAZOS.

1843.



*Para la formacion de la Cartilla ó directorio del rezo del oficio divino en cada año, se necesita ante todas cosas saber cual es en aquel año el número de la Epacta, cual la Letra dominical, y cual la letra del Martirologio romano: lo que se sabe por las siguientes tablas.*

### TABLA I.<sup>a</sup>

del orden de las Epactas desde 1843 á 1900.

*—XI—XXII—III—XIV—XXV—VI—XVII—XXVIII—
IX—XX—I—XII—XXIII—IV—XV—XXVI—VII—XVIII.

*Explicacion.* En 1843 fue la Epacta el asterisco \*: en 1844 es XI: en 1845 XXII; y así sucesivamente corriendo la tabla hasta acabarla en el año de 1861 con la Epacta XVIII; y luego vuelve á comenzar en 1862 con el asterisco \*, procediendo como antes siempre de once en once sin pasar de 30.

### TABLA II.<sup>a</sup>

del orden con que se sucede la Letra dominical desde el año 1844 (bisiesto) hasta el 1900.

Cuadrienio 1. <sup>o</sup>	2. <sup>o</sup>	3. <sup>o</sup>	4. <sup>o</sup>
$\frac{g}{f}$ - e - d - c	$\frac{b}{a}$ - g - f - e	$\frac{d}{c}$ - b - a - g	$\frac{f}{e}$ - d - c - b
5. <sup>o</sup>	6. <sup>o</sup>	7. <sup>o</sup>	— —
$\frac{a}{g}$ - f - e - d	$\frac{c}{b}$ - a - g - f	$\frac{e}{d}$ - c - b - a	

*Explicacion.* En el año 1844 (que es bisiesto) primero de la tabla rige la letra dominical *g* hasta el 24 de febrero: y desde el día de San Matías 25 de dicho febrero la *f*. El año 1845 la letra *e* y así en adelante. En acabando la tabla en 1871 con la letra *a*, vuelve á comenzar el año 1872 bisiesto con las  $\frac{g}{f}$  por el mismo orden, observando que en cada cuadrienio hay un bisiesto con dos letras, de las que la superior rige hasta S. Matías, y la inferior en lo demas del año.

### TABLA III.<sup>a</sup>

de la correspondencia de los 19 números del Ciclo lunar llamado el Aureo número y los de la Epacta con las letras del Martirologio Romano que denotan los días de luna en la Calenda. Sirve desde 1845 hasta 1900.

Aureo Número.	Epacta.	Letra del Martirologio.
1	*	P.
2	XI	l.
3	XXII	C.
4	III	c.
5	XIV	p.
6	XXV	F.
7	VI	f.
8	XVII	s.
9	XXVIII	M.
10	IX	i.
11	XX	A.
12	I	a.
13	XII	m.
14	XXIII	D.
15	IV	d.
16	XV	q.
17	XXVI	G.
18	VII	g.
19	XVIII	t.

*Explicacion.* Al año de 1843 que es el Aureo Número 1.º le corresponde la Epacta el asterisco \* y la letra del Martirologio *P* mayúscula que va marcada al frente. — El 1844 es el Aureo Número 2 y la Epacta *XI*, y letra del Martirologio la *l* minúscula del frente, y así hasta el 1861 que se hallará el Aureo Número 19 con la Epacta *XVIII*, y letra del Martirologio *t* minúscula; y luego en 1862 se vuelve á principiar la tabla con el Aureo Número 1.º, Epacta de asterisco \*, y letra del Martirologio *P* como antes y por el mismo orden. El número escrito en la Calenda debajo de la letra del Martirologio que rige en aquel año, es el que se ha de leer como de luna en cada día.

### TABLA IV.<sup>a</sup>

para hallar el día de la Pascua de Resurreccion (que es la regla de todas las movibles) sabida la letra Dominical y el número de la Epacta.

Ciclo Epactal.	Letras Dominicales.						
	A	B	C	D	E	F	G
*	Abril 16	Ab. 17	Ab. 18	Ab. 19	Ab. 20	Ab. 14	Ab. 15
XI	Ab. 9	Ab. 3	Ab. 4	Ab. 5	Ab. 6	Ab. 7	Ab. 8
XXII	Marzo 26	Mzò. 27	Mzò. 28	Mzò. 29	Mzò. 23	Mzò. 24	Mzò. 25
III	Ab. 16	Ab. 17	Ab. 11	Ab. 12	Ab. 13	Ab. 14	Ab. 15
XIV	Ab. 2	Ab. 3	Ab. 4	Ab. 5	Ab. 6	Mzò. 31	Ab. 1
XXV	Ab. 23	Ab. 24	Ab. 25	Ab. 19	Ab. 20	Ab. 21	Ab. 22
VI	Ab. 9	Ab. 10	Ab. 11	Ab. 12	Ab. 13	Ab. 14	Ab. 15
XVII	Ab. 2	Ab. 3	Mzò. 28	Mzò. 29	Mzò. 30	Mzò. 31	Ab. 1
XXVIII	Ab. 16	Ab. 17	Ab. 18	Ab. 19	Ab. 20	Ab. 21	Ab. 22
IX	Ab. 9	Ab. 10	Ab. 11	Ab. 5	Ab. 6	Ab. 7	Ab. 8
XX	Mzò. 26	Mzò. 27	Mzò. 28	Mzò. 29	Mzò. 30	Mzò. 31	Mzò. 25
I	Ab. 16	Ab. 17	Ab. 18	Ab. 19	Ab. 20	Ab. 21	Ab. 22
XII	Ab. 2	Ab. 3	Ab. 4	Ab. 5	Ab. 6	Ab. 7	Ab. 8
XXIII	Mzò. 26	Mzò. 27	Mzò. 28	Mzò. 29	Mzò. 30	Mzò. 31	Mzò. 25
IV	Ab. 16	Ab. 10	Ab. 11	Ab. 12	Ab. 13	Ab. 14	Ab. 15
XV	Ab. 2	Ab. 3	Ab. 4	Ab. 5	Mzò. 30	Mzò. 31	Ab. 1
XXVI	Ab. 23	Ab. 24	Ab. 18	Ab. 19	Ab. 20	Ab. 21	Ab. 22
VII	Ab. 9	Ab. 10	Ab. 11	Ab. 12	Ab. 13	Ab. 7	Ab. 8
XVIII	Ab. 2	Mzò. 27	Mzò. 28	Mzò. 29	Mzò. 30	Mzò. 31	Abril 1

La Pascua es el día que señala el cuadro que hay frente a la Epacta del año, y bajo la letra Dominical del mismo. No puede ser antes del 22 de Marzo, ni despues del 25 de Abril.

## TABLA V.

de la correspondencia de las principales fiestas movibles con la Pascua de Resurreccion que es la clave de todas ellas.

Ceniza.	Pascua de Resurreccion.	Ascension.	Pentecos-tes.	Corpus Christi.
Febrero	Marzo	Abril	Mayo	Mayo
Dia 4 . . .	22 . . .	30 . . .	10 . . .	21 . . .
5 . . .	23 . . .	1 . . .	11 . . .	22 . . .
6 . . .	24 . . .	2 . . .	12 . . .	23 . . .
7 . . .	25 . . .	3 . . .	13 . . .	24 . . .
8 . . .	26 . . .	4 . . .	14 . . .	25 . . .
9 . . .	27 . . .	5 . . .	15 . . .	26 . . .
10 . . .	28 . . .	6 . . .	16 . . .	27 . . .
11 . . .	29 . . .	7 . . .	17 . . .	28 . . .
12 . . .	30 . . .	8 . . .	18 . . .	29 . . .
13 . . .	31 . . .	9 . . .	19 . . .	30 . . .
14 . . .	Abril 1 . . .	10 . . .	20 . . .	31 . . .
15 . . .	2 . . .	11 . . .	21 . . .	Junio 1 . . .
16 . . .	3 . . .	12 . . .	22 . . .	2 . . .
17 . . .	4 . . .	13 . . .	23 . . .	3 . . .
18 . . .	5 . . .	14 . . .	24 . . .	4 . . .
19 . . .	6 . . .	15 . . .	25 . . .	5 . . .
